G G
9
12

6021/B

4
c. 14

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

BEHRENS, C.B.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30525378

T9

SELECTA MEDICA

DE

MEDICINÆ NATURA

AC CERTITUDINE, MEDICIS,

Eorumque Requisitis, Sectis, Consultandi Ratione, Curationibus Empiricis, Pharmacopœorum, Chirurgorum atque Obstetricum functionibus.

CUM EPIMETRO

DE MAGORUM EXISTENTIA AC DIGNOTIONE.

Non Medicis solum in Artis ipsius augmentum ac dignitatem, Ægrisq; in informationem, sed & ob materiarum casuúmque varietatem Theologis, JCtis & cujuscunque professionis curiosis profutura.

CUM INDICE COPIOSO.

AUTORE

CONRADO BERTHOLDO BEHRENS,

Philos. & Medicinæ Doctore, inque Imperiali Naturæ Curiosorum Societate

EUDOXO.

LONDON · MEDICAL SOCIETY OF

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Sumptibus Ludolphi Henrici Haubenstreinii,

Bibliop. Hannoverani, Anno 1708.

VIRO
ILLUSTRI AC EXPERIENTmo
DN. BRANDANO THEODORO
BEHRENS,
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS,
AC
SERmorum DUCUM BRUNSUICENSIUM
AC LUNEBURGENSIUM
IN AULA BRUNSUIGO-GUELPHERBYTANA CONSILIARIO AC ARCHIATRO,
PHILOS: & MEDICINÆ DOCTORI, CAPITULIQUE BRUNSUICENSIS
AD S. BLASIUM CANONICO.

DN. AGNATO ac FAUTORI Suo
maxime Honorando.

ANnus labitur quartus, cum occasione à REVERmo atque ILLUSTRmo DNO, JOANNE SIGISMUNDO LIB. BARONE DE REUSCHENBERG, Metropolitanæ Trevirensis, & Cathedralis Hildesheimensis Ecclesiarum Canonico, Elegantioris Literaturæ omnis, ac Divinarum humanarúmque scientiarum promo condo, Patrono meo Gratiosissimo, suppeditata, Discursum quendam de arte Medica in chartam conjicerem, Ipsóque Domino dein urgente sub titulo Dissertationis Epistolaris Eidem inscriptæ luci publicæ exponerem. Erat quidem tùm ea fati inclementia, ut vix lucem adspiceret Dissertatio, cùm ILLUSTRmus HEROS, jam à decennali per Universam Europam peregrinatione, & continuo pansophiæ studio enervatus, in ipso ætatis flore mortem oppetere cogeretur, non absque summo Eruditi

ti Orbis dolore, & irreparabili rei literariæ jacturâ, cui promovendæ raro hodie inter magnates exemplo aptus natus erat. Dissertatio verò ipsa adeo eruditis placuit, ut etiam ex locis remotioribus uberior ejusdem materiæ tractatio urgeretur.

Quam cum innumeris non solum locis, sed & integris capitibus auctam, ac plane novam luci publicæ denuo sistam, accidit opportune, ut TE ex aula Cæsarea reducem, novisque honoribus auctum, gratulationes passim exciperent, quod ipsum, quamvis à me privatis literis præstitum quoque sit, ansam tamen suppeditavit, HONORATmo TUO Nomini etiam Selecta HÆC inscribendi, cum & jure quasi quodam eadem vendices, & TIBI, quod scio gratissima quoque exstitura sint. Cui enim post excessum BARONIS REUSCHENBERGII rectius inscriberentur, quam TIBI, qui & his in oris summam in arte nostra dignitatem adeptus, ac non solum PRINCIPUM OPTIMI Medicus, sed & SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATI à consiliis iisdem actu existis, & ad artem ipsam per naturam quasi factus es, eamque ceu gentilitiam vendicas. Neque enim si olim *Foresti* in Belgio, *Sebizii* in Alsatia, *Bauhini*, *Plateri* ac *Zwingeri* in Helvetia, *Camerarii* ac *Horstii* in superiore Germania, *Bartholini* in Dania, *Sponii* in Gallia & *Konerdingii Meibomiiq;* in Saxonia nostra, id sibi honori duxerunt, quod Familia Medica nati dicerentur, mihi ne quidem ab invidis ipsis male verti poterit, si de TE familiáque nostrâ idem referam.

Cen-

Centum enim pene anni sunt, ex quo *Avus Tuus* Paternus, qui mihi Propatruus fuit, Hildesiique natus est, postquam Philosophiâ sub *Cornelio Martini*, primo illo ejusdem hoc in terræ tractu restauratore, probe excultus, Medicinæ, præeunte Celeberrimo *Arnisæo* animum applicaret, & quidem tam feliciter, ut dein in Aula Cellensi Sex successiva serie SERmorum DUCUM BRUNSUIC. & LUNEBURG. REGENTIUM Medicus existeret, DNN. CHRISTIANI, Episcopi Mindensis, AUGUSTI, Episcopi Razeburgensis, FRIDERICI, Præpositi Archi-Episcopatus Bremensis, CHRISTIANI LUDOVICI, JOHANNIS FRIDERICI & GEORGII WILHELMI. Et certe quodam quasi fato ad medicinam excolendam destinatus fuisse videtur, cum etiam, quæ primis annis gemina ipsi in Academia JULIA à SERENmis Hujus NUTRITORIBUS professio Philosophica ac dein Medica quoque deferretur, hujus faciendæ gratia declinarit; Accedit elogiis, quod *Eidem ὁ πάνυ Conringius* labores suos Professorios probare studuerit, eúmque infinem ipsi atque Avuncu lo tuo majori, *Theodoro* illi *Konerdingio*, Ejusdem Collegæ, *Salmuthi* observationes dedicârit.

Ab eo tempore continua serie quinque Medicos in familiâ nostrâ numeramus; Namque ejus exemplo ac domestica manuductione *uterque Parens Noster*, adeandem devenit, quamvis impari decursus fato. *Meus* enim, cum ne quidem ad mediam ætatem perveniisset, morte abreptus, me vix pueritiæ annos

ingreſſum, ab aliis atque in caſtris etiam Hungaricis formandum reliquit, qui optime ipſe me docere potuiſſet, utpote quem virum quoque ſolide doctum & gravem felicemq; Medicum exſtitiſſe, ab omnibus accipio; *Tuus* verò *Parens* HONORme DN. AGNATE, etiam mihi absque ſingulari Veneratione & beneficiorum recordatione nunquam memorandus, dignitate ac celebritate nominis Parenti ſuo non inferior exſtitit, SERENmique HERI TUI, Ejusque AUGUSTÆ DOMUS gratiâ, ut in recenti adhuc omnium memoria eſt, ad obitum usque uſus, ſimúlque in eo felix, quod TE jam Collega uteretur. Non autem amplius per domeſtica & TUA præſertim encomia me latiús diffundam, quæ jam quindecim ante años gravi atq; ominoſo carmine, ad DIVUM quondam Tuum RUDOLPHUM AUGUSTUM DUCEM, expreſſit alter ille Conringius, *Meibomius* Noſter; Quin potius ad alteram inſcriptionis meæ rationem pergo.

Non enim Selecta Hæc TIBI ingrata exſtitura arbitror, cum poſt meſſem *Bohnianam* ad huc ſpicilegii inſtar non minus in augmentum ac dignitatem artis elaborata ſint, cujus abuſus ſi quenquam alium, TE præſertim ægre quoque ferre probe novi. In ejus verò decus ac ſplendorem, ut quamdiutiſſime cum perpetua felicitate ſuperſis, ac perenni AUGUSTISSIMI, SERENISSIMIQue UTRIUSQUE HERI TUI gratia & indulgentia fruaris, ex *animo voveo*. Scripſi Hildeſii die XV. Octob. Anni clɔ Iɔccvii.

SYLLABUS AUCTORUM
AC
EDITIONUM
PASSIM ALLEGATARUM.

JOhannis *Agricolæ* Commentarius in Chymiam Poppii. Germanice IV. Lipsiæ 1638.
Ullyssis *Aldrovandi* Historia Monstrorum Bononiæ. fol. 1642.
Theophil. *Albini* Idolùm virgulæ Divinatoriæ elarvatùm. Germanice VIII. Dresdæ 1704.
Pauli *Ammanni* Medicina Critica, Stadæ IV. 1677.
Aristotelis opera græco-Latina Tomi 2. VIII. Aureliæ Allobrogum, 1607.
Georgii *Baglivi* Praxis Medica & Dissertationes, VIII. Lugduni Bat: 1704.
Thomæ *Bartholini* Epistolarum Medicarum Centuriæ, VIII. Haffniæ, 1663.
Ejusdem de Insolitis partus viis Dissert. VIII. Haffniæ, 1664.
Ejusd. Epistola de peregrinatione Medica IV. Haffniæ, 1674.
Ejusdem Acta Medico-Philosophica Haffnienſia, IV. Haffniæ, 1673.
Nova Literaria *Balthica* Lubecæ IV. anni 1700.
Biblia Sacra, Latina cum glossa Osiandri fol. Tubingæ, 1611.
Casp. Theoph. *Bierlingii*, Adversaria Curiosa, IV. Jenæ, 1679.
Ejusd. Thesaurus Theoretico practicus, IV. 1695.
Steph. *Blanchardi* Collectanea Medico-Physica. VIII. Lipsiæ, 1690.
Hectoris *Boethii* Historia Scotica. fol. Parisiis 1574.
Joh. *Bohnii* de officio Medici duplici, IV. Lipsiæ, 1704.
Petri *Borelli* Observationes Medico-Physicæ VIII. Francofurti 1670.
Georg. *Bollmanni* de Acidulis Piermantanis VIII. Rinthelii 1661.
Olai *Borrichii* Hermes Ægyptiorum defensus contra Conringium, IV. Haffniæ, 1674.
Mich. *Boudewyni* Ventilabrum Medico-Theologicum, IV. Antwerpiæ, 1666
Christophori *Broweri* Annales Trevirenses fol. Leodii 1670.
Thomæ *Browne* Reglio Medici cùm Annotationibus *Molkii* VIII. Argentorati 1653.
Herm. *Busenbaum* Medulla Theologiæ Moralis, VIII. Monasterii, 1652.
Vincentii *Carrariæ* de officio Medici, IV. Ravennæ, 1581.
Corn. *Celsi* de re Medica cum notis Brachelii & Ronsei, IV. Lugduni Batavorum, 1592.
M. Tullii *Ciceronis* opera, IV. 1596.

Joh.

Joh. Henr. *Cohauſen* Tentamina Phyſico-Medica, IV. Coësfeldiæ, 1699.
Herm. *Conringii* de Hermetica Medicina, IV. Helmſtadi, 1669
Ejusd. Diſſer. de Antiquitatibus Academicis, IV. Helmſtadi, 1651.
Ejuſdem Epiſtolæ de varia Doctrina IV. Helmſtadi. 1666.
Valerii *Cordi* Diſpenſatorium, XII. Lugduni Batavorum, 1637.
Martini *Delrionis* Diſquiſitiones magicæ. IV. Coloniæ Agrip. 1633.
Isbrandi *Diemerbrokii* Anatomia, IV. Lugduni, 1683.
Ejuſdem opera practica IV. Genevæ 1687.
Caſtor *Durantis* Herbarium Germanicum, cum præf. *Uffenbachii*, IV. Francofurti, 1699.
Joh. Georg. *Ecchardi* Monatliche Hannoveriſche Außzüge. VIII. an. 1700.
Mich. *Ettmulleri*, Opera medica Tomi duo fol. Francofurti, 1696.
Melch. *Friccii* Paradoxa medica, XII. Ulmæ, 1699.
Joh Chriſt. *Frommanni* de Faſcinatione, IV. Norimbergæ, 1675.
Galeni Opera Latina, fol. Baſileæ, 1542.
Ephemerides Eruditorum *Gallicanæ* Nitzchi, VIII. Lipſiæ, 1667.
Thomæ *Garzon* Piazza Univerſale, IV. Francofurti, 1659.
Miſcellanea *Germanica* Naturæ Curioſorum? IV.
Hermanni *Goehauſen* proceſſus Juridicus contra Sagaſ. VIII. Rinthel. 1630.
Ehrenfridi *Hagedornii* Hiſtoriæ Medico Phyſicæ VIII. Rudolfſtadi 1690.
Joh. *Helwigii* Obſervationes Medico-Phyſicæ cum Scholiis Lucæ *Schrökkii* IV. Auguſtæ Vindel. 1680.
Joh. *Heurnii* Methodus ad praxin, IV. Lugduni Batav. 1609.
Guil Fabr. *Hildani* opera Chirurgica fol. Francofurti, 1601.
Hippocratis Opera Græco-Latina *Foeſii*, fol. Francofurti, 1624.
Wolffgangi *Hôfferi*, Hercules Medicus IV. Norimberg 1675.
Caſp. *Hoffmanni* Inſtitutiones Medicæ IV. Lugduni, 1645.
Conradi *Horlacheri* Theatrum Arcanorum, VIII. Francofurti, 1690.
Conradi *Horneii* Compendium Theologiæ, IV. Brunſuigæ, 1655.
Gregorii *Horſtii* Obſervat. & Epiſtolæ Medicæ IV Ulmæ 1625.
Joh. Dan. *Horſtii* Diſpenſatorium novum, fol. Francofurti, 1651.
Ejuſdem Obſervationum anatomicarum Decas cum Epiſtolis IV. Francofurti 1656.
Athan. *Kircheri* de arte Magnetica, IV. Coloniæ Agripp. 1643.
Ejuſdem Mundus Subterraneus. fol. Amſtelodami 1665.
Joh *Laſſenii* Atheiſmus triumphatus Germanice VII. Hamburgi 1672.
Johannis *Langii* Epiſtolæ Medicæ, VIII. Francofurti, 1589.
G. G. *Leibnizii* relatio de Antidyſenterico Americano, VIII. Francof. 1696.

Andreæ *Libavii*, Singularia, VIII. Francofurti, 1599.
Duncani *Liddelii* Ars medica, VIII. Hamburg. 1628.
Joh. Anton. *Lindani* medicina Isagogica, IV. Lugduni, 1657.
Acta Eruditorum *Lipsiensia*, IV.
Dan. *Ludovici* Pharmacia moderni seculi, VIII. Hamburg. 1688.
Marci *Mappi* Diss. de remediis superstitiosis, IV. Argentorati, 1677.
Guil. *Maxvelli* de Medicina Magnetica XII. Francof. 1679.
Theodori *Mayernii* Praxis Medica, VIII. Aug. Vindelicorum 1691.
Henrici *Meibohmii* Diss. de Incubatione in fanis, IV. Helmstadi, 1659.
Henr Loh. *Meyeri* Bibliographia Physico-Medica, XII. Luneburg. 1704.
Domin. *Panarolli* Observationes Medicæ, IV. Hanoviæ, 1654.
Ferdinandi Ep. & Princ. *Paderbornensis* Constitutio Medica, IV. 1667.
Chr. Franc *Paullini* Observationes Medico-Physicæ, VIII. Lipsiæ, 1706.
Ejusdem Disquisitio de morte Verminosa, VIII. Francofurti 1703.
Joh. Nicol. *Pechlini* Observationes Medico- Physicæ, IV. Hamburg. 1691.
Lucæ *Pinelli* de Pœnitentia Libri V. XII. Coloniæ, 1613.
Plinii Historia Naturalis, fol. Venetiis, 1516.
Plutarchus de defectu Oraculorum cum explicationibus Joachimi *Camerarii*, VIII. Lipsiæ.
Jacobi *Primerosii* de Vulgi Erroribus in Medicina, XII. Amstelodami 1693.
Viti *Ridlini* Lineæ Medicæ, VIII. Aug. Vindelicorum.
Guerneri *Rolfincii* Chymia, IV. Francofurti, 1686.
Henrici *Ronhüsen* Observationes Chirurgicæ, VIII. Norimbergæ, 1674.
Martini *Rulandi* Thesaurus, VIII. Budissinæ 1680.
Julii Cæsaris *Scaligeri* de re poetica, VIII. 15, 4.
Gunth. Christ. *Schelhammeri* Diss. de Medico Philosopho, IV. Jenæ, 1690.
Melchioris *Sebizii* Discursus de Adolescente invento mortuo cum Serpente adjacente, IV. Argentorati, 1618.
Justi Georgii *Schottelii* de Antiquis quibusdam Germaniæ Juribus, VIII. Francofurti, 1671.
L. Ann. *Senecæ* Opera, VIII. 1604.
Dan. *Sennerti* de Chymicorum cum Aristot. & Galen conf. IV. Francofurti, 1655.
Henrici *Smetii* Miscellanea Medica VIII. Francofurti, 1611.
Georg. Ern. *Stahlii* Disp. de mortis theoria, Hallæ, 1702.
Gabr. *Svvederi* Jus publicum Imperii Romano-Germanici, VIII. Tubingæ, 1696.
Christiani *Thomasii* Disputatio de Crimine Magiæ, IV. Hallæ, 1701.
Aug. *Thonneri* Epistolæ Medicæ, IV. Tubingæ, 1653.
Ejusdem Observationes Medicæ, IV. Ulmæ, 1625.
Balth. *Timæi* à Güldenklee Opera Medica, IV Lipsiæ, 1665.
Andreæ *Tiraquelli* de Nobilitate, fol. Lugduni, 1559.
Mich. Bernh. *Valentini* Pandectæ Medico Legales IV. Francof. 1701.
Franc. Baronis *Verulamii* de Augmentis & dignitate scientiarum, VIII. Argentorati, 1635.
Gerhardi Joh. *Vossii* de Idololatria, fol. Amstelodami, 1668.
Joh. Jac. *Waldschmidii* Opera Medica IV. Francofurti, 1695.
Georg. Wolfg. *Wedelii* Praxis Clinica, IV. Jenæ, 1707.
Ejusd. Disp. de Transplantatione morborum, IV. Jenæ, 1686.
Johannis *Wieri* de præstigiis Dæmonum, IV. Basileæ, 1583.

)( )(

Chri-

Chriſtiani *Wildvogelii* Diſp. Juridica de Balneis & Balneatoribus, Jenæ, 1703.
Idonis *Wolfii* Obſervationes Chirurgicæ, IV. Quedlinburgi, 1704.
Pauli *Zacchiæ* Quæſtiones Medico-Legales, fol. Francofurti, 1688.
Zacuti Luſitani Opera Medica fol. Lugduni, 1649.
Joh. Frid. *Zitmanni* Medicina Forenſis, IV. Francofurti, 1706.

INDEX SECTIONUM.

I. De Medicinæ Natura & Certitudine.
II. De Medicis eorumque requiſitis.
III. De Sectis Medicorum hodiernis.
IV. De Medica conſultandi ratione.
V. De Curationibus Empiricis.
VI. De Pharmacopoeorum functionibus.
VII. De Chirurgorum functionibus.
VIII. De Obſtetricum functionibus.
Epimetrum de Magorum exiſtentia ac dignotione.

SECTIO I.
DE MEDICINÆ NATURA AC CERTITUDINE.

I.

MEDICINA, uti ars est sanitatem hominis dignoscendi, integramque conservandi, amissam verò per naturalia remedia cum ratione restituendi, ita quoque eadem certis suis principiis innititur, certumque effectum præbet.

2. Cum enim sanationem, adeoque applicationem remediorum, & proin actionem pro fine habeat, omnino ars erit, quo ipso tamen dignitati ejusdem, uti quidem nonnulli arbitrantur, minime detrahitur, scientiarum namque omnium cognitione fulcitur, ac quodam earum quasi circulo, fatentibus etiam ipsismet JCtis, constat,

Tiraquellus *l. de Nobilit. c. 31. n. 73. 76.* Carrarias *l. de officio Medici part. 1. p. 42.*

3. Applicantur autem remedia naturalia cum ratione, adeoque excluduntur primò remedia Empirica, utpote citra morbi cognitionem, eique superstructam ratiocinationem ac proin fundamentum adhibita, qualia etiam sunt Transplantatoria ac Magnetica, ceu contactum physicum, qui inter medicamenta & corpus sanandum necessario intercedere debet, & omnem ad distans operationem excludit, non agnoscentia, ac proin cum ratione pugnantia, ut sectione quinta latius dicetur.

4. Deinde remedia supernaturalia, characteres

ſcilicet, verba, carmina, ritus, imagines aſtrologicæ & ejus generis alia, naturalem vim in ſe non habentia, adeoque ſi quippiam præſtant, vel reapſe magica, vel ſaltim Dæmonis activitate pacto implicito nitentia, atque eapropter Chriſtianæ fidei adverſa.

Valentini *pandect med. leg. part. 1. p. 461. 753. 756.*

Heurnius *method prax. lib. 3. p. 347.*

Zacchias *Quæſt. Med. Leg. lib. 6. p. 504.*

Horneius *Comp. Theol. l. 3. p. 637.*

Buſenbaum *Theol. Moral. l. 3. p. 91.*

5. Certitudo verò artis Medicæ ex principiis ejusdem evidentibus, ab anatomes atque mechanices fontibus deſumptis, adeoque ratione atque experientia ſtabilitis, probatur, quodque eorum beneficio morbi quoque in interioribus abſtruſiſſimi, cum cauſis ſuis recte dignoſcantur, & cuicunque morbo ſalutaria remedia, ex divina ordinatione, determinato cum effectu opponantur;

Baglivus *prax. li 1. p. 8.*

6. Prius quod attinet, ſi Hippocratis aliorumque veterum præſtantium Medicorum phoenomena ac præſagia circa morbos, cum recentiorum obſervationibus quiſpiam comparaverit, eandem nunc eſſe morborum in eſſentialibus conditionem naturamque, quæ fuit ſuperioribus ſeculis, & eodem ac olim ordine illorum periodos procedere, liquido conſtabit. Obſervationes autem hæ omnes pro ſubjecto habent humanum corpus, cujus motus ſive naturales ſive morboſi, cum rurſus originem habeant ſtabilem & periodos ceu dictum, regulares ac conſtantes, neceſſe quoque eſt, Medicinæ dogmata, utpote talibus obſervationibus ſuperſtructa, certa ac perpetua exiſtere. In ſpecie ſigna morborum pathognomica, ſeu in præſentis affectus cognitionem deducentia, quanta certitudinis medicæ indicia exiſtunt. Hæc enim, uti ſeculorum omnium experientia confirmat, ita nuper, ut vel exemplo ſaltim confirmem, affectus Aſthmaticus longè abſtruſiſſimus Celeberrimi *Caroli*

Pa-

Patini, illustravit, quem ipsi adhuc vivo ingeniosus ejusdem Medicus *Knipsmacoppius* demonstravit, nihil aliud esse posse, quam polypum quendam arteriæ magnæ prope cor insidentem, aperturâ corporis post mortem sententiam accuratè, ac cum eadem simul certitudinem artis insigniter comprobante. *Miscell. German. Dec. 3. An. 1. App. p. 85.*

7. Quis denique de certis medicamentorum effectibus dubitaverit, cum quotidie vigilias laudanum coerceat, diarrhoeas Ippecoanha sistat, febriles paroxysmos sopiat Chinæ cortex, arthritidem decoctum lignorum dissipet, luem veneriam mercurius, hecticamque acrimoniam lac caprillum corrigat, & calculum quoque evidenter abigant sua specifica, ne quid de emeticis purgantibusque humorum pravorum saburram ad votum & sensum, seu determinationem medicamenti evacuantibus, dicam.

8. Huic vero artis Medicæ certitudini non officit, primo, quod ab ipsis magni nominis Medicis & quidem præ aliis ex recentioribus *Paulo Zacchia*, *Michaele Baudevvino*, *Paulo Ammano*, *Michaele Ettmullero*, quique instar omnium est, maximi judicii viro, Nostræque Societatis Argo, *Frankenavio*, Regiæ Majestatis in Dania quondam Consiliario ac Archiatro, ars conjecturalis vocetur; Talis enim est, non tamen ratione sui ipsius, sed applicationis, cum ingenio humano dirigatur, unusque Medicus alterum scientia & ratiocinio superet, seu propter diversa studia, seu quoque indolis beneficio. Scilicet dum conjecturæ ejusmodi rectam rationem atque experientiam pro fundamento habent, unde artificiosas easdem vocat *Galenus*, arcentur eo ipso â my-

L. 2. Quæst. med. Leg. p. 226. *Ventil. Med. Theol. part. 1. p. 188.* *Miscell. Cur. German. Dec. 1. Ann. 2. Obs. 184.* *Oper. Tom. 1. p. 38.* *Præfat. in Maxvell.* *Lib. 3. loc. affl. p. 56.*

à myſteriis artis hujus ſtupidi, nulloque ingenio præditi, utpote ad conjecturandum, ſive circumſtantiarum varietates diſtinguendas inepti. Eſt igitur σοφασμός Medicus certus ac fundatus, idemque cum eo quo & navarchus & Dux belli utitur. Non quidem me latet medicis quibusdam id bilem movere, qui tamen ipſi plerumque ne dicam in curatione, (non enim in medico eſt ſemper relevetur ut æger) ſed etiam dignotione morborum, ac eventu prædicendo, infelices exiſtunt, adeoque quod præ contradicendi ſtudio aliis negant, ipſo opere inviti confirmant.

Caſp. Hoffmannus *lib. 1 Inſtit. c. 1. p. 5.*

9. Secundo non obſtat, quod quidam ægri priſtinæ ſanitati non reſtituantur. Quamvis enim ſinem ſuum non ſemper aſſequatur medicus, ſi tamen omnia fecit, ut ſanaret, id eſt, nihil intermiſit eorum, quæ artis ſunt, nihilque inſtituit, quod præceptis illius repugnat, ac inſuper rationali prognoſtico probe ſe munivit, *Ariſtotelis* & *Senecæ* Judicio, partes ſuas artiſque peregit, haut ſecus ac Imperatori victoria, & gubernatori curſus ſecundus propoſitus eſt, quamvis utrumque non ſemper obtineatur. Scilicet corpus ſanabile tantum medicinæ ſubjicitur, immortalitas enim ſpirituum attributum eſt, corporique, utpote ex materia corruptibili compoſito, ac organis, propter continuas functiones per ſe cum tempore exareſcentibus & deficientibus, ſanguineque tandem etiam vappeſcente conſtanti, nulla ratione, præterquam per omnipotentiam divinam, conciliatur.

Lib. 1. Top. p. 258. lib. 7. de Benef. p. 73.

Cicero. *Ep. ad Attic. op. p. 415.*

Stahlius *Diſſ. de mort. Theor. p. 11.*

Baglivus *Act. Lipſ. An 707 p. 410.*

10. Quod autem morbi non ſemper curentur, præter adductam corporis humani fragilitatem, ante tempus interdum à cauſis præſertim externis induc-

ctam

ctam, octo maxime rationes impediunt, quarum sine dubio *prima* est, natura morbi ipsius, quod omnes circumstantias non satis cognita ac perspecta. Licet enim Medicina ævo nostro eum perfectionis gradum adepta sit, ut omnia in eadem, tam quoad causas morborum internas proximasque, quam remediorum operationes, recte explicata nemo amplius dubitet, quædam tamen, seu à parte ægri, statum valetudinis suæ non semper accurate satis referentis, seu quoque medici, singula ac minutissima cum debita attentione non bene ponderantis, impedimenta restare, frustrata morborum curatu alias non difficilium medela probat. Quin quod magis est, Medicus in dignotione morbi frustratus, vitam magis quam morbum oppugnat, ac naturam, cujus tamen minister tantum est, turbando omnia confundit.

11. *Secunda* ratio latet in parte affecta, ad quam medicamenta semper integris viribus pervenire, in eaque effectum suum debite præstare nequeunt, quod vel in hemicrania à polyposa quadam concretione producta apparet Et in phthisi cum ratione ulceris pulmonaris primo abstergendum, dein consolidandum sit, quam lente id sequetur. cum medicamentum non rectà ex ore ad pulmones destiller, sed in ventriculum primo & ex eodem per tot viarum amfractus demum ad eosdem deveniat, qualitate ac viribus exiguis, quæ insuper affluxu materiæ novæ continuo urgente ferè obliterantur, ægrumque impatientem reddunt. Timæus *41. Ep.* 2.

12. *Tertio* curationem impediunt multiplex ac pene incredibilis causarum tam internarum quam externarum concursus, ac ex iisdem emergentia indicantia non raro se invicem destruentia, id quod Bagliv. *prax. l.* 1. *p.* 7.

simi-

similiter in phthisi accidit. Sanies enim & pus in molli & spongiosa pulmonum carne hærens citra tussim expurgari nequit, qua tamen iterum pulmones magis magisque læduntur, quod in assiduo respirationis motu, cui tussis insuper violenta accedit, consolidatio nulla, malo certe inveterato & jam in fistulosa ulcera degenerante fieri queat.

13. *Quarto* ægri ipsi affectum in principio sæpe negligunt, ac parvi pendunt, seu suo errore seu adstantium hortatu. Narrari vix potest, quantopere ægris ejusmodi assidentes dispendio sint, dum non unum semper dubium in medium afferunt, & quod pejus est, semper præ medicis ipsis sapere sibi videntur. Affectus autem ipse neglectus cum tempore parti læsæ adeo firmiter se insinuat, ut dein nulla fere ratione eradicari queat. Ita podagra, hydrops, calculus, aliique morbi chronici, cum in principio optime exstirpari potuissent, per negligentiam ægrorum increscunt, ac morborum incurabilium nomen induunt.

Zacchias *Quæst. Med. Leg. l. 6. p. 518.*

14. *Quinto*, iidem ægri motum naturæ eidemque superstructum curationis processum quoque turbant, dum ingruente quopiam morbo seu, impetu proprio, seu amicorum aut agyrtæ vetulæve cujuspiam suasu Medicamentum sumunt, quod vel morbum naturamque in confusionem agat, vel quoque vires ita subtrahat, ut dein eidem tolerando non sufficiant, ceu nihil frequentius est, quam ut febre maligna correpti sub invasionem morbi unice de stomachi debilitate conquerantur, ac purgans, quale quidem in locis septentrionalibus interdum necessarium est, tunc tamen supra & infra vehementissimum sumant, eoque vires ita destruant, ut dein superato quamvis morbo in declinatione tamen ejusdem nihilominus moriantur.

15. Præ-

15. Præterea *sextò*, accuratam quoque ac convenientem in omnibus diætam non ſervant, nec animi affectibus indulgere ceſſant, & hac ratione malum ſemper fovent, ac recrudeſcere faciunt, quod vel vulnerum alias per ſe non lethalium exemplis patet, quæ ex hac ratione per accidens, ut vocant, lethalia evadunt.

16. *Septimo*, Quod ſinguli morbi certa decurſus ſui tempora habeant, & quidam eorum, uti febres malignæ, intra viginti ad ſummum dies terminentur, quidam verò, ut phthiſis, hydrops, aliique chronici â ſolſtitiis ad ſolſtitia, ab æquinoctiis ad æquinoctia durent, ut ratione aëris circa tempora ejusmodi mutabilis, vel in melius vertantur, vel in deterius terminentur, cujus exemplum notatu, ut arbitror, dignum cum *miſcellaneis Societatis Noſtræ* communicavi, cuique adhuc addendum, quod æger quamvis reſtitutus videretur, ſequenti tamen æquinoctio verno nihilominus obierit, adeoque mutationes in morbis chronicis circa ejusmodi tempora etiam confirmârit. Dictæ verò iſtiusmodi moræ ægri quoque pertœſi, affectu ſubin remittente aſſiduam methodicamque remediorum continuationem ſæpius negligunt intermittuntque, vel mutatione in melius non ſtatim ſubſequente Medicum, cujus dubium de eventu morbi prognoſticon aut male intellexerant, aut quoque in prætextum ſaltem arripiunt, ſubinde mutant, unde priore, qui methodum medendi vix ad medium deduxerat, abdicato, alter ſæpius extraneus, aliis inſiſtens principiis, ægrique naturalis conſtitutionis ac circumſtantiarum, quæ ſub initium progreſſúmque morbi exſtiterant ignarus, alias indicationes medendique methodum format, ac iterum deſtruit, quæ An-

Decur. 3. Ann. 7. obſ. 218.

Primeroſius *l. 4. Err. vulg. c. 5.*

teceſſor jam in commodum ægri abſolverat, ut adeo hic, cum nimis cito curari deſideraret, plane non curetur. Et certe vel hanc ob cauſam cordatis medicis vitio verti nequit, ſi prognoſticon malum celent, aut pro confirmando ægro ac confuſione præcavenda plus interdum, ſub conditione tamen, promittant.

17. Denique *octavo*, ipſorum morborum incura-
Bohnius *de offic. Med. p.* 645. bilis non raro, ut ſic loquar, natura, propter cauſas
Köhnius *miſc. Germ. Dec. 3. Ann. 5. obſ. 81.* ſingulares, occultas, ſolique Deo cognitas. Evangelicos vulgo vocant, quod curatio eorundem non humana, ſed divina ope exſpectari debeat, & partim à Servatore Noſtro, partim ab Apoſtolis aliisque Sanctis miraculoſe peracta ſit.

SECTIO II.

DE MEDICIS EORUMQUE REQUISITIS.

I.

REquiſita Medici ſub decori titulo copioſe explicat Illuſtris *Bohnius*, paucis verò, at nervoſe & apoſite *Julius Scaliger*, vult ſcilicet eſſe doctum, probum,
De offic. med. part. 1. c. 4. lenem, diligentem, maturum, fortunatum, Deo fre-
L. 3. Poet. c. 13. tum, non ſua, vel ſcientia, vel opera, vel ſucceſſu tumidum, non cujusmodi vulgo turbam videmus, à primis literarum rudimentis continuo ſe ipſam eo nomine venditantem, invidam, maledicam, obtrectatricem, novam ſpeciem cynicorum, avaram, temulentam, ſupinam, ignavam ſimul atque ignaram.

2. Ad debitam autem artis medicæ acquiſitionem naturali primum inclinatione & innato erga medicinam amore opus eſt.

3. Dein-

3. Deinde Medicus corpus habeat bene formatum, sanum, vegetum, ac laboribus diu noctuque obeundis, saxumque ejusmodi sisypheum volvendum ac revolvendum aptum, natumque. Plerumque enim ægri parum admodum spei concipiunt, si Medicos eo ipso, in quo illos consulunt, morbo laborare deprehendunt, rati si se ipsos juvare non possint, frustra & alios hoc in malo consilia salubria ab iisdem exspectare. Ut adeo Medicus proprium morbum, si imprimis cum eo, qui curandus ipsi contingit, conveniat, prudentius subticeat, cum nec ad curationem, nec ad fiduciam ægri augendam vel minimum cònferat, nisi salva veritate se à simili morbo olim liberatum fuisse referre possit.

Ridlinus *Lin. Ann. §. p. 150. 859.*

4. Præterea sensuum vigore ac judicii acumine polleat, & animum gerat circa omnem vitam ac fortunam probe compositum, cum hæc Medicis propter invidiam, publicum furorem non raro contra eosdem concitantem, plerumque iniquior existat, & tot fastidia molestiæque, quæ artem serio facientem presso comitantur pede, animum ejusmodi confirmatum, quique tempestive recedere paulisper sciat, ut dein rursus fortior instare queat, postulent.

5. Doctrina si penes ullum, certe apud Medicum magna atque solida requiritur, adeo ut veritati maxime conforme sit illud *Aristotelis*, difficile est Medicum esse.

L. 5. Nicō. c. 11.

6. Necessaria verò præ cæteris futuro Medico est linguarum Latinæ & Græcæ exacta cognitio; Hujus quidem tam propter terminos artis, qui fere omnes ex eadem originem trahunt, quam ad primos medicinæ autores recte intelligendos, qui certe non absque pudore negliguntur. Latina verò ad digni-

tatem medici quoque facit, ceu ex modernis Gallica, aliæque in quibus curioſiſſima interdum ſcripta in lucem eduntur.

7. Dein ad ingenium acuendum, mentisque ſolertiam comparandam, Logicâ, ſub qua & partem Metaphyſicæ generalem comprehendo, ceu quibus ars ratiocinandi ac condendæ experientiæ fulcitur. Logica tamen ita tractanda, ne cum plurimis veterum Italorum ac Hiſpanorum Medicorum in dialecticorum tricas ac dumeta conjiciamur, iisque artem implicemus, ac jam ex ſe longam, magis difficilem obſcuramque reddamus, & logomachiis inanibus involvamus. Non minorem Medico utilitatem matheſis affert, quod effectus naturales corporis animati non clarius faciliúſque explicentur, quam per principia Mathematico-Experimentalia, atque ad vires cunei, æquilibrii, vectis, elateris & ſimilia referantur. Quis enim compagem corporis attente luſtrantium non agnoſcet in mandibulis ac dentibus forficem, in ventriculo phialam, in venis arteriis cæterisque canalibus tubulos hydraulicos, in corde embolum, in viſceribus cribrum ſeu ſecernicula, in thorace follem, in muſculis vectis potentiam, in angulis oculorum trochleas.

Baglivus *prax. l. I. p. 97.*

8. Nec negligenda Moralis Philoſophia, cum de acquirenda prudentia, Medicis tantopere neceſſaria, tractet; Quantum enim verba Medici in phantaſiam ægri dominentur, quotidiana experientia docet, adeo ut Medicus diſertus & artium ſuadendi peritus interdum vel abjectiſſimis remediis difficiles morbos ſuperet, & ex hac ratione ab iisdem remediis, à diverſis tamen Medicis præſcriptis, non iidem effectus inſequantur. Adeo ſæpe felix Medicus eſt, non qui cor-

Id. prax. l. I. p. 138.

Thomſonus *in Act. Lipſ. Ann 7. 6. p. 144.*

poris

poris mechanismum, aut medicinam pharmaceuticam exactè callet, sed qui ægrorum animos optimè disponit.

9. Ad animum verò pro conversatione cum Magnatibus præparandum, historia cujuscunque generis pragmatica futuro medico quoque excolenda.

10. Accedat Philologiæ studium, quod uti ad ornatum ac elegantiam Medici non parum confert, ita non nisi illis Medicis displicere poterit, qui *Langios, Arnisæos, Reinesios, Patinos, Conringios, Rottendorffios, Meibomiosque* ignorant, ac ad Medicum sufficere opinantur, si ægris morbum, cum qualicunque sermonis lenocinio designare, eosque receptorum, ut vocant, varietate delectare sciat. Homines profectò ἄμυσοι καὶ βάναυσοι, & artem medicam tanquam quæstuariam venditantes. Jam suo ævo *Cicero* pronunciabat, non interdictum esse, aut à rerum natura, aut à lege aliqua atque more, ut singulis hominibus ne amplius quam singulas artes nosse liceret, aut unius tantum doctrinæ cancellis, vulgarium ingeniorum instar, se circumscribi quispiam pateretur. Hæc enim si citra necessariorum neglectum tractentur, non minus damnari possunt, ac qui subducto in portum navigio cochleolam aut bulbum in littore colligere instituunt, ita tamen ne vocantem interim nauclerum negligant & navis abeat, quo simili *Meibomius* polyhistoriam medicorum probare solebat, ad quam etiam quotquot Imperiali Naturæ Curiosorum Societati nomen dedimus, adstricti sumus. Citra tamen necessariorum neglectum, ut dixi, ne ægri de sedulitate medici diffidere incipiant, ac invidis calumniandi occasio suppeditetur. Illa aliæque scientiæ omnes, quarum studio præter artem suam Medici interdum flagrare

Præfat. in Exercit. de Incub. in fanis.

grare ſolent, luſum, medicina verò uſum habeat, ſint illæ pediſſequæ, hæc Dux & comes, ut Amicus olim *Thomam Bartholinum* monebat.

Centur. 1. Ep. 99.

II. Naturalis vero Philoſophia fundamentum medicinæ eſt, tam pars ejus Phyſica, quæ corporum, quam pneumatica, quæ ſpirituum ſcientiam tradit. Hi enim ipſi morborum ſupernaturalium ac incantatorum, á plurimis hodie in dubium vocatorum, autores exiſtunt, ad eoſque reſpexit *Hippocrates*, dum conſiderandum ſemper monuit, an etiam divini quid in morbis ſubſit. Quamvis enim per τὸ θεῖον ejusdem quidam fermentum aliquod ſeu malignum ex aere communicatum, ſeu aliud naturale, ſenſibus tamen minus obvium intelligant, interpretatio tamen ejusmodi ſenſui Hippocratico maxime repugnat, utpote qui paulo ante de effectibus naturæ vires ſuperantibus locutus fuerat; Unde quoque vox iſta à *Zacchia* & *Conringio* recte per ſpiritum explicatur. Ex qua ratione etiam pro majori Theoriæ ejusmodi certitudine, ſub *Epimetri* titulo in calce Selectorum, quædam de Magorum exiſtentia ac dignotione, occaſione quæſtionis ejusmodi nuper apud nos ventilari ceptæ, conſignata ſubjungere neceſſarium duxi. Uti verò Medicus Philoſophus, juxta ejusdem quidem *Hippocratis* effatum ἰσόθεος exiſtit, ac peculiari & eleganti Diſſertatione ab Illuſtri *Schelhammero* aſſertum eſt, ita quoque JCtorum & Medicorum præſtantiſſimorum judicio, perfectus Medicus dici nequit, imo Medici nomine indignus eſt, qui Philoſophiâ non probe imbutus exiſtit. Et propter hanc ſine dubio rationem in antiquiſſimis Italiæ & Galliæ Academiis, cum quibus ut eſt in Helmſtadienſi Privilegio, pleræque Germaniæ Academiæ iisdem conceſſionibus honoribuſque ac privilegiis gaudent,

Quæſt. Med. Leg. l. 4. pag. 360.

Epiſtol 29 de Var. Doctr.

L. d. Decor. op. p. 27.

Carrarias *l. de offic. med. n. 49. part 1.*

Zacchias *Quæſt. l. 6. p. 560.*

Conring. *Diſ. de antiq. Academ. p. 199*

dent, Medicinæ Doctoribus semper quoque & Philosophiæ titulus in promotionibus additur.

12. Ipsum Studium Medicum non nisi solerti singularum medicinæ partium apprehensione absolvitur, quæ cum plures ac diversæ existant, continuata quoque studia requirunt. Ex consideratione verò ipsius finis resultant, nec enim hunc obtinebit Medicus, ac at sanitatem suorum integram conservabit, ægriq; morbum, ceu par est, cum ratione curabit, nisi causas ejusdem ac proprietates accurate cognoverit, id quod commode citra sanitatis ipsius, in quo illa consistat, prænotionem fieri nequit.

Prima igitur Medicinæ *pars erit*, quæ statum corporis humani naturalem considerat, diciturque *Physiologia*, ac continet sub se *Anatomiam*, ac *Physiologiam* propriè dictam, quarum illa tractatio est de situ seu structura partium naturali, hæc verò de usu earundem seu functionibus. Ipsa quoque secandi methodus eapropter Medicis scitu necessaria est, quod ob ignorantiam ejusdem inspectionibus ac aperturis vulneratorum aliorumque defunctorum corporum præesse, ac in casibus ejusmodi legale judicium ferre nequeant. *Altera* Medicinæ pars, siquidem definitionem hujus respiciamus, erit *Hygieine*, quæ sanitatis præsentis conservationem monstrat, quamvis si tractationis methodum spectes, rectius post pathologiam ac semeioticen collocetur; Dum enim modum præcavendi morbos docet, simul origines & occasiones morborum ex causis externis demonstrat, quæ tamen omnia non nisi præmissa eorum notione, causarumque internarum scrutatione intelligi possunt; Interim partis hujus tractatio nostro imprimis ævo eo magis necessaria est, quo morborum curationes ægrotantium maximè culpa

Valentini *pandect. med. Leg. præfat.*

non

non amplius ad votum ita ſuccedunt, adeoque Medici munus apud plures magis in præcavendo, quam curando exiſtit. *Tertia* pars, corpus morboſum ſcrutatur & *Pathologia* audit, duplexque iterum eſt, generalis, quæ methodo ſynthetica tractatur, ac morbos cum cauſis juxta genera ſua, & à priori quaſi conſiderat; Et ſpecialis, quæ de morbis eorumque cauſis ac differentiis methodo Analytica, id eſt ſymptomatibus juxta ſingulas corporis partes à capite ad calcem, eorumque differentiis accidentalibus agit. *Quarta* medicinæ pars *Semeiotica* eſt, iisdem ac pathologia methodis incedens, ſtatum morboſum ejusdemque eventum per ſigna explorare ac cognoſcere docet. Succedit *quinta*, quæ morbos per remedia abigit, *Therapeutica* vulgo, reſpicitque *primò methodum medendi generalem*, juxta methodum ſyntheticam conſideratam, quæ iterum præſupponit notitiam ſeu tractationem de *ſimplicibus officinalibus*, id eſt Botanicam, minerologiam, ac zoologiam; Dein *Pharmaciam*, quæ de compoſitis tractat, iterumque duplex eſt Galenica ac Chymica; Ut & *formularum clinicarum* ſeu extemporanearum doctrinam utpote quæ cum compoſitis pharmaceuticis continuo paratis exſtantibus perperam hactenus ab Autoribus confunduntur. *Secundò praxin ſpecialem* juxta analyticam methodum inſtitutam, in qua à capite ad calcem usque, atque etiam per ſingulas febrium ſpecies procedendo, in quocnnque affectu primo definitio ejusdem & ſigna pathognomica, dein cauſæ proximæ, internæ exrernæ, ac differentiæ accidentales ſingula cum diagnoſi ſua, ſigniſque prognoſticis recenſentur, ac demum methodica curatio cum diæta ſubjungitur. Denique *caſus practicos* ſeu medicinam conſultatoriam. in qua caſibus particularibus ac in theſi, Petro, Paulo

lo aliisque individuis, ad modum casuum *Horstii* imprimis ac *Timæi*, post causarum scrutinium methodus medendi eruitur, inque formulis clinicis applicatur.

13. Ejusmodi verò studii medici addiscendi methodus ut rite instituatur, præmittendas arbitror in incipientibus primum definiriones, ex singulis medicinæ partibus juxta earundem capita dispositas, quæ memoriæ traditæ magnum dein ipsis, seu in progressu studii ipsius, seu sub artis exercitium, in dignoscendis casibus difficilioribus adjumentum afferunt; Et in definitionibus ejusmodi ordine suo ita dispositis, genuina *Institutionum Medicarum* ratio latet, ipsis quibusdam earundem scriptoribus ignorata. *Baglivo* methodus aphoristica, seu tractatio per sententias quasdam breves ad modum *Hippocratis* instituta placet, quæ ipsa si ordinate formetur, à dicta methodo parum abludit. *Prax. l. 1. p. 50.*

14. Manuductio verò ipsa ad praxin, non nisi à Præceptoribus, artem ejusve partes, Chirurgicam etiam ac Pharmaceuticam feliciter & cum applausu, seu privatim apud ægros, seu publice in Nosocomiis exercentibus dirigitur, in quibus Medicina consultatoria in thesi applicatur, ac teste non solum *Baglivo*, sed & quolibet experto, paucioribus mensibus plus, quam alia quapiam manuductione annis proficimus. Ejusmodi practicorum lateribus futurus Medicus se associet, ut inter ipsas operas ac in individuis affectuum causas, naturæ ac remediorum effectus & morborum eventus, aliaque non nisi ipso usu addiscenda notet, cum alias sibi relictus, ac sine peritioris medici directione, aut nulla aut minus congrua imo funesta experimenta sub initium praxeos faciat necesse sit, unde demum pravus in medendo habitus contrahitur. *Præfat. prax. med.* Bohnius *de offic. p. 11.*

15. Horum tamen practicorum cum plures, ac in diver-

diversis locis audire præstet, quam unius alicujus praxi adsuescere, peregrinationes quoque medicis necessariæ existunt, quarum methodum *Thomas Bartholinus* suo exemplo copiose, breviter verò, nec tamen minus nervose *Timæus à Guldenklee* monstrarunt.

Epistol. de peregr. med. L. 6. Ep. 3.

16. Libris semper opera danda probatioribus, & ex editarum observationum frequentia ac casuum mirè sæpè variantium scrutinio cujuscunque affectus indoles indaganda, & simul medicamenta effectu probata colligenda. Qui verò Autores scriptis suis artem ejusve partes excoluerint, adeóque præ cœteris evolvi mereantur, peculiari introductione *Conringius* quondam tractavit, ejusque gener Illustris *Schelhammerus* in additamentis. Nec minori cum diligentia ac judicio nuper idem exsecutus est, Vir doctissimus ac Medicus provincialis in Electoratu Brunsuigo Luneburgico dignissimus, *Meyerus*, in elegantissima sua Bibliographia Physico-Medica, quæ in latinam linguam, quo per universam Europam legi posset, transferri meretur.

17. Cum verò memoria labilis sit, & ex multorum Autorum lectione facile quispiam in Pyrrhonismum delabatur, inque ferendo de rebus judicio confundatur, loci quoque communes Medici adornandi, non quidem vulgari inque scholis usitata, sed concinna & Medica quasi methodo, secundum capita materiarum cujuscunque medicinæ partis, in quibus, quæ lectio Autorum, ac quotidiana dein experientia suppeditant notatu digna, ordinate ac succincte congerat, ut horum tanquam indicis beneficio & adminiculo, quandocunque opus fuerit, ad Autores fontesque recurrere, eosdemque in ancipiti negotio consulere liceat. Doctum enim cum judicio faciunt, non quæ leguntur, sed quæ in memoriæ thesaurum reponuntur. Et licet

Baglivus *prax. l. 1. p. 50.* Ridlinus *Lin. Ann. 6. p. 940.*

Hoffmannus *l. 5. Instit. c. 33.* Ridlinus *Lin Ann 6. p. 1018.*

licet, quæ interdum profuerunt, non omnibus æque ac omni tempore conducant, convenit tamen remedia ejusmodi probata semper in copia ad manus habere, quam ægrum prorsus derelinquere; Certe ex hac ratione præcipuè fit, ut Empirici & Vetulæ sæpe numero in curandis morbis feliciores existant, quam eruditi Medici, quia medicinarum ejusmodi approbatarum confectiones & compositiones fideliter & scrupulose retinent. Verulamius *l. 4. Augmen scient. p. 205.*

18. *Helmontius* ejusque sectatores pluribus inculcare nituntur, medicinam esse immediatum Dei donum, non studiis Academicis, aut librorum lectionibus exspectandum, probantque effato S. Pauli Apostoli, gratiam sanandi ab eodem spiritu, qui miracula efficit deducentis, & hæc duo simul conjungentis, adeo ut cum miraculorum efficientia à Deo immediate proficiscatur, pari ratione cum medicina quoque comparatum sit; Verum quod pace Viri alias ingenioſi dixerim, locus Paulinus primam Ecclesiæ constitutionem respexit, quæ miraculosis ejusmodi ac supernaturalibus mediis tunc confirmari debebat, cujus jam longe alia ratio est. Imo si Apostolus ad illam ita respexisset, ut sub sanandi gratia, medicina quoque comprehendi deberet, nemo Ethnicorum genuini medici nomen mereretur, utpote in quos prætensa ejusmodi gratia divina non cadit, quale tamen nomen plurimis eorum nemo sanæ mentis detraxerit. Horlacherus *præfat. Theat. Arcanor.* *1. Cor. XII. v. 28.*

19. Medico verò in accessu ad ægros meminisse convenit & sessionis, & habitus demissi, amictus compositi, autoritatis, breviloquentiæ, ut nihil perturbate agat, assessus, diligentiæ in sciscitando, contradictionis ad ea, quæ occurrunt, ad improvisa supervenientia constantiæ, in turbis castigandis severitatis, Hippocrates *lib. de Elegāt. Medic.*

denique promptitudinis ad ministeria, ita tamen ut ægrum, qui nunquam medicum frustra vocare solet, risu jocisque minus convenientibus excipiat, etiamsi phantasia ejusdem aliâ interdum ratione corrigi nequeat. Qui verò humanum ac officiosum se erga ægrotos præbuerit, is artis amore teneri censetur, & patronos quoque suos citius reperit, in meliorem partem omnia interpretantes, si quando felix in medendo eventus interdum non æquè successerit. Absit tamen fallax & ad errorem proclivis asseveratio, quod unum aliquod exhibitum remedium statim profuturum sit. Præterquam enim quod ignorantiam hoc arguat, agyrtis quoque proprium existit, & pollicitatio ejusmodi dein medicum de promissis non præstitis convincit, equenumero bonorum virorum expungit.

Zacchias *Quæst. l. 6. p. 489.*

20. His accedat, quod rerum caput est, reverentia erga Deum, quæ si in aliquo, certe in medico ex attenta structuræ corporis humani imo vel solius oculi consideratione, non potest non existere. Cum enim nihil producatur à nihilo, motusque non detur absque motore, nec vita donetur nisi à vivo, nec artificium præstetur, nisi ab artis gnaris, quis medicorum autorem adeo ordinatæ, summamque sapientiam arguentis structuræ corporis nostri, ac vel solius oculi, non nisi infinita præditum fuisse sapientia ac potentia non affirmet. Ac imprimis in medico reverentia erga Deum requiritur, eo quippè non benedicente, frustra vel in præstantissimis medicamentis medela quæritur; Eos vero nullo modo juvat, qui à vero pietatis tramite longissimè aberrantes fraudibus se extollere cupiunt, & has vel maximè illicitas interdum in subsidium vocare non verentur.

Cokburnius *in Act. Lipsi. Ann. 706. p. 231.*

Wedelius *prax. Clini. praef.*

Ridlins. *in Ann. 5. p. 859.*

21. Dein-

21. Deinde Medicum ornat probitas insignis, quæ & hominum animis tempestive se insinuet, & divinam benedictionem simul experiatur. Quapropter vel ex hac ratione Judæi medici, quamvis publico eruditionis testimonio insigniti, inter Christianos non tolerandi videntur, ut prolixè defendunt *Petrus Uffenbachius*, *Simon Scholzius*, *Michael Baudevvinus*, & Inclyta Facultas *Theologica Wittebergensis*. cui *Argentoratensis* & *Rostochiensis* subscripserunt. Licet enim, quod tamen rarum, unus atque alter scientiis medico necessariis imbutus sit, studium medicum rite quoque excoluerit, ac præterea virum bonum ubique se præstiterit, propter innatam tamen huic genti erga Christianos aversationem ac naturam subdolam, quodque consueto Doctorali juramento obligari nequeant, imo à tali, ceu mysteria religionis nostræ apud se tacite flocci pendente, periculum animæ non exiguum ægro immineat, *tutius* erit medicos ejusmodi Hebræos non nisi suis relinquere, *uti* quoque Judæis Pharmacopolium inter Christianos exstruere, iisdem ex rationibus prohibet Inclyta *Facultas Medica Lipsiensis*.

Schelhammerus *Dis. de Medico Phil.* §. 75.

Præfat. in Herbar. German. Duranti. Misc. Germ. Dec. 1. An. 6. Obs. 151. Ventil. med. Theol. part. 2. qu. 5. Valentini *Pandect. med leg. pag. 443. part. 1.*

Zitmannus *Medic. Forcent 2. cas. 46.*

22. Ut verò sanitas speratum effectum consequatur, ac pro felici medico quispiam habeatur, multum etiam confert fiducia ægri erga medicum, & grata hujus persona. Uti enim in ipsis medicamentorum effectibus determinandis, imo etiam immutandis mira imaginationis vis est, ita fiducia erga medicum & admiratio ejusdem, quæ duo ex doctrina illius ac prudentia emergunt, ægrum præceptis ejusdem obsequentem reddunt, & mediante phantasia, quam hic amor & reconvalescendi spes intendunt, languentes spiritus humoresque pro faciliori morborum debellatione movent, ac determinant, cum è contrario dif-

Pechlinus *l. 3. obs. 13.*

fidentiam, metus & odium comitentur, quæ ſpiritus ſanguinemque quaſi concentrando ſimul naturæ in affectibus ſuperandis robur imminuunt. Et prudens medicus illorum medelæ præeſſe non admodum deſiderabit, à quibus ſe parum æſtimari noverit.

23. In medendo medicus ſit primum judicio præmeditato, prompto, ac conſilium in arena capiendi apto; Uti enim gladiatorem aliquid adverſarii vultus, aliquid manus mota, aliquid inclinatio corporis monet, ita quoque in praxi medica non rarò quippiam in effectum tradendum innuitur, quod nec dici nec ſcribi poteſt, atque unice à judicio exercitati practici dependet; Procraſtinationem certe & expectationem caſus plurimi ſubitanei non concedunt. Deinde cito tuto & jucunde curet. *Cito* quidem, ut dictum, in tempore & occaſione, ductum naturæ, cujus miniſter eſt, ſemper obſervando ac imitando, idque imprimis in morbis acutis, cum in his natura plus perficiat arte, quæ tamen iterum in tollendis chronicis malis naturam antecellit, in quibus major remediorum eſt neceſſitas. Per naturam autem medici non niſi particularem & cuilibet individuo propriam conſtitutionem, quoad partium conformationem, figuram, magnitudinem, ſitum, connexionem & functiones, ſanguiniſque, ac humorum motum & ſpirituum influxum intelligunt, utpote à quibus uti functiones aliæ omnes, ita etiam materiæ morbificæ ſegregationes diriguntur, & medicamentorum operationes in actum deducuntur. *Tuto* verò curet medicus, id eſt abſque læſione corporis & recidivæ metu, utque victum medicamentis præferat, medicamenta ferro, ferrum igni, ignem deſperationi. *Jucunde* ſeu facili labore nullo aut parvo cum dolore aut moleſtia, familiaria & pau-

Wedelius *prax. Clinic. præf.*

Lindanus *medi. Iſagog. §. 23.*

Frid. Hoffmann *in act. Lipſ. ann. 707 p. 131.*

Wolfius *obſ. Chir. p. 203.*

ca

ca offerendo, ubique se personis, sexui, ætati, ac tempori concinne gerendo, nec tamen nimis facilem semper, ne pro adulatore aut parasita habeatur, nec nimis rigidum quoque se præbendo, ne ægros nunquam non in aliis obsequentes reddat.

24. Hujusmodi verò professio an in Republica necessaria existat, jocosè interdum quæritur, præsertim cum Romana, qua vix ulla ordinatior, sexcentis annis absque medicis fuerit, nec deinde in potestate medici sit finem suum semper assequi, ac insuper hominibus omnibus semel moriendum sit, & denique plurimi pauperes solius naturæ beneficio, absque medicinæ concursu sanitatem recuperent. Affirmativam verò & rectè defendunt *Smetius*, *Boudevvinus*, ac *Bohnius*. Cum enim Magistratui incumbat incolumitatiac proin sanitatiquoq; civiũ suorum prospicere, omninò professionis medicæ constitutio in rebus publicis erit necessaria, primo ut civibus modi sanitatem conservandi innotescant. Deinde quoque nulli ægrorum in primo morbi alicujus insultu præscire datur, utrum ille lethalis sit futurus nec ne, & an non eapropter medico opus fuerit, qui naturam ex arte juvet, & impedimenta convalescentiæ removeat. Honora medicum propter necessitatem, inquit *Ecclesiasticus*, creavit enim Altissimus de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam, seu quod idem est, stultus eandem negligit. Præterea in foro de lethalitate vulnerum, propinatis venenis, morbis contagiosis, supernaturalibus, nec non de partus anticipatione, fœtus maturitate, infanticidiis, habilitate ad torturam, aliisque casibus plurimis nemo rectius cognoscet, quam medicus, ut adeò in causis ejusmodi prætor absque ejus judicio, justitiam administrare nequeat. Denique

Plinius *l.* 29. *c.* 1.

Miscell. med. p. 186. *Ventil. med. Theol part.* 2. *qu.* 1. *De offic. part* 2. *c.* 1.

C. XXXVIII. v. 1.

que nec Theologi, ac judicia Eccleſiaſtica, ſeu conſiſtoria, medicorum decretis carere poſſunt, antequam matrimonia dubia ſeu confirment ſeu ſolvant, partui monſtroſo ſacrum baptiſmatis lavacrum concedant, denegentque, alioſvé plures caſus decidant.

25. Argumenta ipſa allata, quod attinet, ea tanti ponderis non ſunt, ut profeſſionis hujus conſtitutionem ſubruant. Quamvis enim Romana Reſpublica tot ſeculis abſque medicis artem ejusmodi profeſſis fuerit, eandem tamen non abſque medicina fuiſſe certum eſt, quam quilibet Pater familias, aut forte ejus juſſu alius quiſpiam ſimplici atque hortenſi quodam remedio in familia adminiſtravit, allioque, cumino, braſſica, lacte ſimilive euporiſto curavit. Quod vero Medici finem ſuum non ſemper aſſequantur, illi non ſemper in culpa, ut ſupra explicatum. *Sect. I. n. 10. C. XIV. v. 5.* Nec fatalis vitæ terminus juxta illud *Jobi* unicuique conſtitutus abſoluta aliqua & inevitabili neceſſitate eſt, ſed à Deo ſemper ſimul & gloriæ ſuæ & ſalutis hominum æternæ rationem haberi, idque ipſum per cauſas ſecundas huic intentioni ſubordinatas dirigi arbitror. Ad cauſarum verò ſecundarum claſſem & medicamentorum applicatio utique referenda, alias enim fruſtra Altiſſimus de terra medicinam creaſſet, *Eccleſiaſt. XXXVIII. v. 4* aut medicum propter neceſſitatem honorandum præcepiſſet. Patet illud exemplo Hiskiæ Regis, cui Deus *Eſaiæ XXXVIII. v. 5* inſtantem mortis horam per Eſaiam Prophetam deſignaverat, ac domum diſponere juſſerat, deinde tamen lacrymis ac ſupplicatione commotus, ulcus ejusdem lethiferum ſalutaris medicamenti applicatione ſanavit, vitæque quindecim adhuc annos adjecit. Inter miracula quidem quiſpiam hæc & ſimilia numeraret, quæ cum naturæ vires ſuperent, Medica

dicæ arti parum patrocinentur. Verum non minus Deus per miracula, quam per actiones naturæ conformes potentiam suam declarat, sufficitque terminum Hiskiæ Regi ad moriendum primum præfixum immutatum fuisse, ac idem in aliis adhuc juxta divinam promissionem aliasque circumstantias fieri posse. Nec quod quartum argumentum erat, naturæ in quibusdam beneficium, artis concursum in aliis excludit, cum medicus naturæ minister sit eamque suppleat, ubi verò per se ipsa sufficit, hic non requiratur, quo tamen naturæ beneficio cum non omnes ægri æque gaudeant, necessitas quoque professionis medicæ non tollitur.

Bohnius *de offic. p. 541.*

26. Quapropter etiam nullus ad artem hanc partesve ejus exercendas admittendus, nisi peritus, seu, quod voce hac denotatur, qui publico testimonio rite approbatus fuerit, quale apud medicos communiter est gradus Doctoralis, aut Licentiaturæ, utquibusdam in locis loquuntur, in Academia quadam præviis solennibus examinibus impetratus, ac insuper magistratui ejus loci, in quo degit, ritè probatus; Quo in negotio optimum foret, si nemini extra patriam regionem gradus ejusmodi & honores assequi liceret, ut eruditionis suæ testes quilibet haberet populares suos. Nec bullati doctores hac in parte excludendi, modo juxta tenorem literarum Cæsarearum, in juventute studiis necessariis operam dederint, in Academia quadam seu publica seu privata præceptorum informatione fundamenta artis excoluerint, specimen publicum eruditionis suæ exhibuerint, inque præsentia trium medicinæ Doctorum à Comite Palatino approbati fuerint.

Zacchias *Qu. l. 6 p. 500*

Valentini *pand. part. 1. p. 579.*

Zittmannus *Medic. forens. cent. 1. cas. 18. 19. 28. 29. cent. 2. cas 50. cent 5. cas. 27.*

Primerosius *Err. vulg. l. 1. c. 2.*

Zittmannus *cent. 1. cas. 33. 46.*

27. Nec video, qui magistratus circa professionis

Sempronius Gracchus *in*

Misc. Germ. Dec. 3. Ann. 5 obs. 18.

hujus conſtitutionem aliter agere queat, cum etiam opificiorum, quæ tamen circa vitam hominis non verſantur, atque medicinâ longe inferiora exiſtunt, conditio in civitatibus bene conſtitutis ſic ferat, ut nullus niſi prius examine & ſpecimine, ut ſic loquar, ſtatutario, notitiam artis ſuæ probatam dederit, & ab artis peritis pro idoneo declaratus fuerit, opificium ſuum exerceat. Imo quid magis mirabile, quam muniri oppida, convocari ingeniarios, immenſos ſumptus fieri in opera vix aliquando menſtruæ defenſioni ſuffectura, & interea nihil agi, quo minus inteſtinus aut perpetuus hoſtis impune graſſetur, quem ipſa noſtra in nos natura atque imprudentia armat. Nullus quoque eſt, ut privatas rationes afferam, qui ſuos agros villico inexperto, nullus, qui ædificationem Architecturæ ignaro, nullus, qui pecuniæ diſpenſationem ejus rei imperito commendet; quæque judicioſa Illuſtris *Bohnii* comparatio eſt, qui in morbis imperitos implorant, ſimiles ſunt naufragium paſſis, qui ex anchoræ complexu ſalutem ſibi pollicentur.

Leibnizius *Relat. de Antidyſ. Amer. p. 7.*

De offic. med. part I. *c.* 3.

28. Occaſione quæſtionis à Medico quodam *Smalcaldenſi*, Inclytæ Facultati Medicæ *Gieſſenæ* propoſitæ, diſquirendum quoque hic eſt, an è re loci cujusdam ſit, ut unus aliquis ſæpius ad primarii cujusdam Viri arbitrium conſtitutus, ſolus excluſis aliis praxin exerceat, & ſuper hanc privilegium obtineat, ubi quoque negativè laudata Facultas & rectè reſpondit. Primò enim hoc, quantum promotorum aliorum Doctorum excluſionem attinet, contra jura & privilegia Cæſarea unicuique illorum conceſſa eſt, quæ à nullo Statuum Imperii in ſuo territorio reſtringi, aut in contrarium explicari poterunt, cum gradus ejusmodi collatio inter reſervata Imperatoris ſit. Praxin autem qui-

Valentini *Pandect. tom* I. *p.* 426.

Svvederus *Jur publ. p.* 333.

quilibet post legitimam promotionem exercere potest, sine peculiari indultu, ut Inclyta Facultas Medica *Lipsiensis* rescribit. Dein ipsis quoque ægris in damnum vergit, cum civitati aut regioni magis proficuum existat, si pluribus medicis instructæ sint, ita enim in casibus subitaneis, absente vel ægrotante uno, alterius operâ uti poterunt, ac denique alter alterum ad artem majori diligentia excolendam excitabit, nec unius arbitrio omnia ita subjicientur. Zitmannus *Med for. cent 1. cas. 77.*

29. Atque uti ex antedictis magistratus officium circa constitutionem rei medicæ abunde patescit, ita ut collegium quoddam medicum erigatur, quod omnia ad rem medicam pertinentia, sanitatemque subditorum facientia, dirigat, æque necessarium arbitror, ac consistoria vulgo sic dicta super res ecclesiasticas, dicasteria vero super res justitiæ subjectas ordinantur, cum fortunæ bona sanitate corporis longe *inferiora* existant, & à malo hujus habitu interdum quoque salus animæ periclitetur. Quâ verò methodo collegium ejusmodi instituendum sit, particularis cujuscunque loci aut principatus ratio, ac consideratio eorum, quæ passim in selectis his urgentur, suppeditat.

SECTIO III.

DE SECTIS MEDICORUM HODIERNIS.

I.

CUm Medicina sit ars conjecturalis, necesse quoque est, pro studiorum diversitate, ingeniorum subtilitate, ac judiciorum varietate & olim & adhuc hodie quasdam medicorum sectas existere. Est enim secta apud Medicos, consensus multitudinis in doctri- Liddelius *l. 1. art. med c. 2.*

nâ ſive coacervatione dogmatum, quæ ex certis principiis ſe mutuo conſequuntur, aut conſequi putantur.

Seneca *Epiſt. 95. p. 226.* *L. d. Altra Bile p. 149.*

2. *Hippocrates*, artis ipſius conditor, Vir honeſtus & probus, neque ambitionis aut gloriæ, ſed veritatis amator, ut *Galenus* de eo loquitur, in morborum curationibus naturam ſemper obſervabat & imitabatur, motus ſcilicet humorum & decurſus tempora prudenter exſpectando, & ſimul ſolidarum partium vim ac elaterem in fluida promovendo Unde quoque nil magis præcipit quam balnea, frictiones, exercitationes, inunctiones, uſtiones, inciſiones partium ad oſſa, capitis per ſternutatoria purgationes, ejusdem lotiones, vellicationes, ſuccuſſiones, ac hujus generis remedia in ſolidas partes agentia. Cujus doctrinæ methodique medendi, cum in Noſocomiis Italis periculum faceret Acutiſſimus Medicus, *Georgius Baglivus*, non ſine admiratione tanquam ex tripode prodeuntem deprehendit; Et certè quod ejusdem *Baglivi*, & ante eum *Thomæ Bartholini*, recentiſſimorum ſane Autorum de *Hippocrate* judicium, naturæ hic, non hominis voce locutus eſt, cui nec ætas priſca vidit parem, nec videbit futura, cujuſque libri nil aliud, quam purus praxeos ſuccus, ſeu ut Illuſtris *Wedelius* ipſe quadraginta annorum practicus loquitur, non niſi ex praxi nati ſunt.

Prax. p. 2. 46. *Cent. 4. Ep. 95.* *Prax. clin. præfat.*

3. *Galenus* quamvis *Hippocratem* imitari & aſſequi ſtuderet, ad ſubtilitates tamen & diſputationes jam magis digreſſus, quatuor imprimis humoribus ac qualitatibus Ariſtotelicis Medicinam ſuperſtruebat, ac nihilominus feliciſſimè etiam apud Imperatores Romanos faciebat, nulli unquam vel ob curationem fruſtratam, vel ob prognoſin male inſtitutam calumniæ

niæ subjectus, ut de se ipso testatur. Principiis his sectatores ejus adhuc dum insistentes, rationem quidem iisdem innitentem cum experientiâ conjungunt, ac causas morborum remediorumque operationes ex quaternione hâc deducunt, in curandi verò methodo decoctis, electuariis, similisque sortis fastidiosis medicamentorum formulis, nec infeliciter utuntur. *L. 3. loc. aff. p. 56.*

4. *Paracelsus*, *Chymicique* & *Hermetici*, causas morborum & rationes eosdem curandi per principia, sal, sulphur & mercurium, utpote in quæ omnia corpora mediante ignis tortura resolvere nituntur, explicant, ac novorum indies eorumque ceu vocant, generosorum ac universalium remediorum per ignem inventioni student, nec interdum à remediis supernaturalibus abhorrent. Sectam hanc peculiari libro oppugnavit *Conringius*, strenuè verò defendit *Borrichius*, uterque pari cum ingenii ac diligentiæ laude, ut de palmâ adhuc sub judice lis sit. Licet verò placita ejusmodi non omni ex parte rejicienda sint, & per Chymiam medicamenta Galenicis jucundiora & quibusdam in casibus præstantiora suppeditentur, promiscuè tamen & sine discrimine, ab effectibus mineralium in furno Chymico, ad effectus corporis animati analogice ratiocinari, quasi naturæ judicia ad furnos ejusmodi coacta & captiva existerent, ad multos pernicioso s præsertim in praxi errores nimis credulis ansam præbet. Primerosius *l. 4. Err. vulg c. 2.* Bohnius *de offic. p. 150.* Baglivus *prax. p. 18. 89*

5. *Helmontius*, quamvis in quibusdam haut perperam sentiret, & curandi methodum à priori suggerere niteretur, ex odio tamen adversus Scholam Galenicam, super cujus scilicet ruinas novam meditabatur, doctrinam prognosticam, Venæsectiones, purgatio-

nes, clysteres, fonticulos, aliaque ab ipsis usu proba-
Baglivus *prax. p.* 29. 30 ta remedia, absque discrimine & argumentis tantum à similitudine desumtis, proscribit, subsannat, obscuris ænigmaticisque nominibus omnia involvit, & in causis morborum assignandis non nisi Archæum, Gas; Blas aliaque absona, in curationibus verò arcana sua ac magnetica remedia venditat, adeoque quos in Galenica praxi corrigi volebat errores, vel invitus postmodum in suam introduxit.

6. *Francisco Sylvio* omnis in excessiva aciditate succi pancreatici & nimio bilis alcali, seu corrigendo seu acuendo, ratio erat; Fermentarios nuper sectatores *Act. Lipsi. ann. 703. p. 267.* ejusdem vocavit *Dominicus Sanginettus* Italus. Non levem quidem probabilitatem, & cum experientiâ Anatomicâ, Chymicâ & practicâ conformitatem habent *Sylvii* scripta, multa tamen, judicio Facultatis Medicæ *Lipsiensis*, nihilominus in iisdem observantur Zitmannus *Med. for. cent. 2. cas. 25.* quæ ulteriore cultura & investigatione opus habere videntur, imo eum etiam in finem tantum ab Ingeniosissimo Autore proposita sunt. Centena enim homi-
Baglivus *prax. p. 234. & 19.* nem lædunt, singulique morbi à præternaturali quadam humorum specificatione, cuilibet familiari pendent, nec ad angusta alcali aut acidi spatia tantæ morborum causæ redigendæ. Methodum medendi Sylvianam, utpote in generalibus tantum, laxando nimirum & alterando consistentem, facillimam judicat *Baglivus*, & brevi dierum spatio à rudi etiam *Op. Tom. 2. p. 39.* muliercula addiscendam, *Ettmullerus* tamen, quamvis theoriam in quibusdam oppugnet, summopere commendat, ceu quoque Sylviana Medicamenta præ Helvvichius *in Misc. Ger. Dec. 2. ann. 5. Obs. 195.* Willisianis feliciter cessisse observatum.

7. *Cartesiani* Medici, mathematicis *Cartesii* elementis, ac corpusculari *Gassendi* philosophiæ ratiocinia sua

super-

superstruunt, & œconomiam animalem morborum causas ac medicamentorum operationes per particularum suarum motum & figuram interpretantur, unde & quibusdam secta Dogmatico-Mechanica audit. Subtile admodum *Cartesii* ingenium erat, ac quædam de natura hominis prospiciebat, quæ dein Anatomici posteum autopsia demonstrarunt, ut adeo dubium non sit ex principiorum ejusdem Philosophicorum prudenti ad medicinam applicatione hanc ipsam in non paucis locis reformari posse, ceu quoque duabus Dissertationibus id *Waldschmidius* erudite demonstravit, vereor tamen ne nimiis ejusmodi subtilitatibus ac speculationibus rationi magis, quam experientiæ velificetur, cum præsertim minus sciri possit, quantum aut materiæ subtilis aut globulorum secundi elementi, aut materiæ striatæ sumere oporteat ad medicamentum quoddam conficiendum.

Dimerbrokius *Anat.* p. 35.

Oper. Tom. 2. p. 1.

8. *Boerekoistæ* denique ubique acidum ac viscidum, sanguinis humorumque motum retardans incusant, & rejectis medicamentis acidis humorumque ac spirituum impetum corrigentibus, uti & venæsectione & purgatione, solis medicamentis calidis volatilibus, motum ac fluorem intendentibus, curationes absolvunt. Hi ipsi, quamvis Theoriam morborum non parum illustrent, medendi tamen methodus, quam promiscuè applicent, ceu violentior, periculo non caret, uti ab Illustri *Hoffmanno* peculiari exercitatione Acroamatica eleganter assertum est, & in *Selectis* quoque *Diæteticis* à me pluribus confirmabitur.

Sect. IV. cap. 6.

9. Nulli verò ex his Sectis prudens Medicus se mancipabit, sed ex singulis, & inventis quotidie novis prodeuntibus optima semper eligat, nec veterum, id est, illorum, qui ante inventam sanguinis circula-

tio-

latione m ſcripſerunt, experientias, terminoſque, ceu uſu receptos, ac paſſim cognitos, ſine diſcrimine rejiciat nauſeetque, cum quilibet Autores ex propriâ imprimis experientiâ, non ſecundum hodierna theoremata, & opinandi licentiam judicandi. Nec recentiorum Autorum, ipſimet experientiæ non rarò imperitantium, hypotheſes, fungorum inſtar ſæpè propullulantes, ſemper admiretur, utpote ad curioſitatem ſpeculativam potius, quam uſum practicum directas. Singula verò juxta rationis & experientiæ trutinam ad finem ſuum in ægrorum commodum dirigat. Certe cum poſt *Hippocratem* ac *Galenum*, Medici ſcriptores plerique latius duxiſſent, ſubtilis interpretis, Antagoniſtæ nervoſi, aut methodici abbreviatoris famam affectare, indeque fieret, ut artis ipſius ſplendor, qui in ſanando non verò ſpeculando conſiſtit, remitteret, vel ſaltem his illiſve hypotheſibus obſcuraretur, Medicis clinicis, qui ægros ipſos inviſebant, theoriâ ſæpe non ſatis tinctis, qui verò in cathedra profitebantur, ægrotos ipſos minus viſitantibus curantibuſve; In eo major ſeculi noſtri felicitas eſt, ut medici paſſim obſervationes atque experimenta ſua diligentius annotent, & ex collatione, tam ſuarum quam alienarum, ad certiora magis magiſque progrediantur. Illuſtrem Societatem Academiæ Naturæ Curioſorum Imperialem intelligo, cujus inſtitutionem Viro eapropter memoriâ æternâ digno, *Johanni Laurentio Bauſchio* Svvinfurtenſi, circa medium ſuperioris ſeculi poſteritas debet. Ejus enim beneficio ſingulis annis, quicquid notatu digni in Phyſica & Medicinâ, non per Germaniam ſolùm, ſed ubicunque fere locorum ſe offert, in unum congeritur á Viris doctis & in arte Magiſtris cenſetur, ac ſub nomi-

Baglivus *prax. l. 1. p. 24*

Wedelius *prax. clin. præfat.*

nomine Miscellaneorum Curiosorum in publicum editur, quo certe instituto tam medicinæ, quam humano generi nil majus accedere potest. De tali verò Medico sine dubio actum videtur, qui non restare quod discat sibi imaginatur, & iis quæ didicit contentus, ulterius non inquirit, sed saltem ne sententiam mutare cogatur, vel falsa asserere audet, dum enim sic rarò in veræ causæ cognitionem devenit, non nisi forte fortuna suos curabit ægros. Ridlinus *Lin. Ann. 6. p. 155.*

10. Non rarò accidit, ut experientia cum ratione pugnare videatur, quo casu istam huic semper præferendam cum *Zacchia*, *Bohnio*, *Wedelio*, *Etmullero* ac *Friccio* arbitror, cum nil in ratione sit, quod non prius per experientiam cognitum fuerit, & remedio experto latente nihil etiam maximè ingeniosa medendi methodus polleat. In quo tamen ita procedendum, ut Empiricorum castra declinemus nec quicquam absq; ratione saltem relativa faciamus. Propter experientiam verò, cui medicinam semper inniti oportet, jam ab antiquo specialis medicorum titulus exstitit, ut experientissimi vocentur. *Quæst. l. 6. p. 551.* *De offic. p. 202.* *Prax. clin. præfat.* *Tom. 1 op. p. 40.* *Paradox. l. p. 7.*

SECTIO IV.

DE MEDICA CONSULTANDI RATIONE.

I.

COnsultationes medicas inire, vel illustrioris ægri conditio, pro status sui ratione plures semper medicos adhibentis, postulat, vel periculosus ægri cujuscunque morbus. Utroque casu nemo medicorum easdem declinaverit, nisi vel pro insulso, vel pro eo qui in Christianam caritatem imo humanitatem ipsam peccaverit, haberi velit. Ammanus *præfat. Med. Crit.*

2. Nec etiam fructu ſuo carent. Æger enim, dum in conſultationem conſentit ordinarius medicus, hunc, ceu ſalutis ſuæ cupidum æſtimat, magis etiam obſequitur, ac ampliorem convaleſcentiæ ſpem concipit, cum plurium Medicorum ſtudium atque in rem unam conſenſum videt; Medicus autem ordinarius ſi curationis eventus, præſertim apud Magnates, vel lente vel non æque feliciter ex voto ſucceſſerit, malevolorum ictus citius declinabit, cum diligentiæ ſuæ ac officii recte peracti teſtes habeat, ceu copioſe hæc contra conſultationum medicarum ejusmodi oſores ac impugnatores Illuſtris *Bohnius* exſequitur.

De offic. p. 106.

3. Dixi duplici caſu conſultationes locum invenire, quos inter poſterior, ægri nempe cujuscunque ſtatus periculoſior evadens tunc demum obtinet, cum Medico ordinario conſilium deficere incipit; Quam diu enim hic ipſe auxiliis adhuc inſtructus eſt, & quoque ea præſtat, quæ alius de novo accerſendus Medicus forte haud in effectum tradiderit, vel morbus quoque in declinatione conſtiſtutus jam eſt, omnino nec citra periculum ægri, cujus curatio tunc, ut ſupra innui, confunditnr, nec deſpectum Ordinarii, erga quem omnem ſuam fiduciam hoc modo dimittit æger, novus aliquis medicus advocatur. Imo quod magis eſt, diſſenſu tunc inter Medicos oriente, æger potius conſilium poſterioris amplectetur, majorique fiducia præſcripta ab eodem medicamenta aſſumet, unde prior mutam tantum perſonam aget, eaque propter magis ſuæ exiſtimationi conſulet, ſi ægro ejuſmodi, ut ſupra monitum, valedicat, eumque alteri Medico plenarie committat, ne eventu optato non reſpondente, illius diſſenſus dein pro cauſa mortis allegetur.

Sect. I. *n.* 16.

Sect. II. *n.* 22.

4. Nullatenus autem in conſultationem vocandi, qui

qui vel sanguinis vel officiorum necessitudine ac lucroso interdum pacto sibi invicem devincti, quales Medici confarreati alias audiunt, ex quorum sibi invicem assentantium aut etiam diversitatem quandam opinionum simulantium, in speciem tantum congressu, non nisi speciosæ nugæ ad ægrum redundabunt. Nec qui diversis Medicorum sectis ac opinionibus imbuti sunt; quique invidiâ affectibusque animi malignis turgent, aliosque semper ex suo ingenio judicantes meras etiam contradictiones pro injuriis reputant; Aut etiam ex alieni nominis ruina semper famam aliquam aucupari consueverunt, ac alios modis quoque ab illustri *Bohnio* recensitis supplantare student; Denique qui quamvis collegis suis haut iniqui, præ philautia tamen cervicosi existunt, αὐτός ἔφα sibi vendicant, ac etiamsi sibi ipsis sæpè contradicant, & medicamentum ab alio Medico præscriptum à se vero primo reprehensum rejectumque, dein tamen nihilominus ordinant, & semper nisi quod ipsi faciant, non rectum judicant; Qualis enim candor ac harmonia congressu ejusmodi speranda, quin potius contradictiones ac lacerationes mutuæ sequentur, ex quibus non solum contemptus Medicorum emergit, sed etiam prostitutio ipsius artis, ut adeo nemini vitio verti poterit, si quis malevolos ejusmodi sibique insidiosos aut etiam sciolos declinet, famæque suæ consulat, quo casu quilibet certe sibi proximus existit, nec alterius arbitrio subjicitur

Bohnius *de offic. p. 117*

De offic. p. 50. 51

5. Semper quoque cum præscitu ordinarii Medici, nec unquam eo inscio, sub quocunque prætextu, variisque interdum technis, atque ex improviso, quasi Deus ex machina, novus aliquis Medicus obtrudendus. Antequam verò ad consultandum accedunt,

novus Medicus ab ordinario de morbo & quid hactenus actum in usumve ductum sit, fideliter informandus, & dein in ipsa consultatione sententia cujuscunque ordine audienda, ita ut natu minor in dicendo semper præeat, simul tamen ab omni disputatione in præsentia ægri abstinendum, atque interim quæ secundum artis atque conscientiæ dictamen facienda aut omittenda quilibet judicaverit, libere absque cavillatione livore aut adulatione ac conniventiâ proferenda, quo rebus ægri consulatur. Præsumptivi autem collegarum errores non statim divulgandi, præterquam enim, quod casus cujuspiam dubii decisio non ab arbitrio Medici privati, etiam promoti, dependeat, sed Facultati cuidam Medicæ in Academia, aut collegio Medico in urbe merito reservetur, propalatione ejusmodi ægroto nil consulitur, sed potius, siquid humani Medicus Antecessor passus videtur, excusandum est ac meliora substituenda, semper in animum inducendo, unicuique ejuscemodi quid contingere posse. Ad finem verò morbi usque Medici consultantes coram & conjunctim curent. Consultatio enim si quadam tantum vice instituatur, & post discessum alterius medici nova symptomata oriantur, aut circumstantiæ mutentur, ut tranmissa ab alio loco medicamenta adhiberi nequeant, quid quæso emolumenti ex eadem tunc ad ægrum redundaverit, qnin potius hic in confusionem positus incertus dubiusque, quam viam eligat, hærebit.

Ridlinus *lin. ann. s. p.* 343.

Ammanus *præfat. Med. Crit.*

Ridlinus *ann. 2. p 561.*

Zitmannus *cent. 6. cas. 11*

SECTIO V.
DE CURATIONIBUS EMPIRICIS.
I.

EMpiricorum apud veteres peculiaris Medicorum secta erat, qui rejectâ corporis humani, causarum morbi internarum, & facultatum in Medicamentis cognitione, solis quibusdam experimentis, interdum ad similitudinem comparatis, morbos curabant, in eo aliis tum temporis Medicorum sectis, Dogmaticæ scilicet & Methodicæ oppositi, quod illi morborum causas & signa investigarent, atque juxta indicationes curationem instituerent; Hi verò Methodici, morborum medelam inediâ auspicarentur ac tantum vel laxarent, vel adstringerent.

Primerosius *l.* 1. *Err. Vulg. c.* 6.

2. Hodie autem & jam ante plura secula non ampliùs peculiarem sectam constituunt Empirici, sed isthoc nomine veniunt, qui nullis artis principiis, nullâque scientiâ Medico necessariâ, imo sæpe ne latinâ quidem linguâ imbuti, tribusque tantum aut quatuor experimentis instructi Medicinam faciunt, olidi myropolæ, circumpurpurati agyrtæ, fraudulenti dentifrangibuli, pediculosi unguentarij, infames magi, crumenimulgi præstigiatores, prodigiosi uromantes, grandistrepi Theologastri, furnarii ciniflones, & qui sunt alii vanilo-quidoci nugipolyloquides, & fastuosæ Medicastræ, plerumque omnes malæ frugis homines ac desperati, cum temeritate & jactantia, quod Empiricorum semper proprium in quarto ut loquuntur, modo, ac eorum character est, impune per incerta, & cum suismet ipsorum verbis interdum pugnantia experimenta è Germanicis Practicorum libris male consarcinata, mortem exercentes, à carnificibus in eo tantum differen-

Sachsius *in Misc. Germ. Dec.* 1. *An.* 2. *Obs.* 26. *schol.*

Primerosius *Err. Vulg. l.* 1. *c.* 4. 5.

Valentini *Pandect. part* 2. *p.* 582.

Timæus *l.* 3. *cas.* 25.

Ridlinus *lin. Ann.* 4. *p.* 977.

Zitmannus *Cent.* 5. *cas.* 97.

ferentes, quod hi non niſi ex judicum ſententia & facinoroſos, Empirici verò inſontes quoque & ſub Medicorum, quorum ſimiæ exiſtunt, perſona interimant.

Ridlinus *Lin. Ann. p. 515.*

3. Magna autem eorundem in morborum curatione præ veris Medicis prærogativa eſt, quod magis ſedulo iiſdem confidant auſcultentque ægri, & dicta illorum, ac ſi ex cœlo prolata eſſent plerumque æſtimentur, etiam à viris, qui alias dignitate & judicio pollent. Hinc ſi vel maxime talia ſuadeant medicamenta, quæ aut ingrata admodum ſunt, aut diutius continuanda, illis tam exacte obtemperatur, ut interdum non poſſint non prodeſſe, Imo ubi negotium minus bene ceſſerit, ægros facti pudet, dumque quantum fieri poteſt ſubticent, rariſſime delicta illorum patefiunt, & plerumque medicis, qui aut inſcii una cum iisdem ægrotum acceſſerunt, aut in fine vocati fuerunt, omnis culpa imputatur.

Conringius *Diſſ. de Antiquit. Acad. p. 54.*

4. Montis peſſuli eorum, qui Medicos ſe mentiuntur, pœna eſſe ſolet, ut Aſino ſtrigoſo ac ſcabioſo imponantur, & averſi per urbem circumducantur. Quæ conſtitutio ſi ubicunque locorum valeret, & crumenis ſubditorum melius conſuleretur, & ſanitas horum ac vita non tanto ſæpè periculo exponeretur.

Sect. 1 n. 4.

5. Ad Empiricas curationes, optimo ut arbitror jure, jamque ex parte in antecedentibus probato, refero quoque morborum tranſplantationes, curas magneticas, ac univerſales.

6. Transplantatio morborum, eſt eorundem hominem affligentium, in brutum vel vegetabile quoppiam translatio, inſtituiturque ægrotantium excretis, aut cibis excretis ejuſmodi contaminatis, animalibus propinatis, ligno cruore ægri infecto arboris alicujus trun-

trunco ad medullam uſque perforato infixo, modiſque aliis à *Frommanno* & Illuſtri *Wedelio* eleganter congeſtis. Fundamentum curæ hujusmodi vulgo ponunt in commercio ac ſympathia ſpirituum tam eorum, qui in corpore adhuc ſub animæ imperio exiſtunt, quam eorum, qui in humoribus è corpore noſtro ſeparatis, atque excrementis ipſis hoſpitantur, licet ab ægro quàm longiſſime diſtent. *Maxvellus* radios quosdam corporales vocat, ſpiritu vitali gaudentes, per quos anima extra corpus proprium operetur, recentioribus effluviorum nomine veniunt, putantque animal vel arborem, quibus recrementum aut cruor ægri obtigit, hoc convaleſcente emarceſcere.

L. de faſcin. p. 1003. Diſp. Academ.

Medic. Magnet. l. 1. c. 10

7. Verum enim verò, experientiam, ad quam provocant, quaque transplantationem ejusmodi confirmari dicunt, non reſpondere certum eſt, & interdum hac in re quoque ipſis medicis, circumſtantias omnes debita cum attentione non ſatis examinantibus, ac ſæpè præ innovandi pruritu nimis credulis, egregie imponitur. Illud poſt *Blankhardum* exemplo illuſtri de Barone quodam Italo confirmavit *Garliepius*, qui Berolini medicinâ ſuâ ſympathetica plurimos non ſolum decepit, ſed & neci tradidit, ut tandem re peſſime ac perfide planè actâ, â plurimis repetundarum actione conventus, atque bis ad reſtitutionem acceptorum turpem condemnatus, fuga tandem clam ſibi conſulere cogeretur.

Collect. Medico Phyſi. cent. 5. obſ. 73 Miſc. German. Dec 3. Ann. 5. obſ. 5.

8. Deinde etiam cum ratione pugnat ejusmodi medendi methodus; Continens enim cauſa morbi ut plurimum per totam maſſam ſanguineam radicatur, aut certe non uno aliquo loco concluditur, adeoque impoſ-

impoſſibile eſt, eandem cum ſanguine & excrementis ita ſeparari, inque aliud corpus transferri poſſe.

9. Eadem quoque effluviorum hic à quibusdam in ſubſidium vocatorum ratio exiſtit, uti alias effluviis contagioſis in aliud corpus derivatis, non liberatur corpus, quod morboſa ejusmodi effluvia emiſit, & imprimis lue veneria laborantes magno ſuo malo teſtantur; Quin quod magis eſt, integræ ſæpe corporis partes, aures, nares, manus abſcinduntur, quarum tamen corruptio corpori reliquo nil amplius quicquam officit, ac etiamſi vel animalibus vel plantis in alimentum cedant, nullum inde commodum vel incommodum in corpus ægrum, cujus partes exſtiterant, redundat. Nec eſt, quod cum *Maxvello* animæ operationem in diſtans huc advocent, hæc enim mediis ejusmodi ac inſtrumentis caret, quibus in diſtans quippiamin effectum tradat; Imo cum hæc proprio corpori non majorem alterationem, quam quæ actu in poteſtate humorum ac ſpirituum jam eſt, inferre valeat, multo minus id efficiet in diſtans & in corpore alieno. Pluribus quæſtionem hanc tractat *Frommannus* ac ſimul alia contrariæ partis argumenta pulchrè diluit.

L. de Faſc. P. 421. 838.

10. Quæ autem de ſpiritu ſeu anima mundi hic porrò urgentur, ideas platonicas ſapiunt, & multis poſt *Conringium* ac *Ettmullerum* recentiſſime ab *Albino* refutantur; Ac etiamſi per univerſalem ſpiritum ejusmodi æthera intelligant, ſeu corpus quoddam omnium ſubtiliſſimum aëri interfuſum, quod omnia permeet; Non tamen æther iſte, ceu cauſa univerſalis, determinate agit, ac definite in indefinito ejusmodi miaſmate colligit iſta ac iſta effluvia, vel mutuo individuis applicat. Nec ſufficit, quod ex ægri corpore

Brovvne *Rel. ſ. 31. p. 194.*
Herm. med. l. 2. c 9.
Oper. Tom 2 p. 1863.
Idol. Virgul. Divin. p 231.
Wedelius *Diſſ. de Tranſpla. §. 5.*

pore alii communicatum propius accedat ad naturam individui ægrotantis unde desumptum, quam cujusquam alius, nisi & reliqua rite fuerint comparata. Mappus *Diss. de rem. superstit. p. 50 45.*

11. *Tertio*, morbi qui transplantatione ablati feruntur, sunt quos interdum natura ipsa superat, uti icterus, febris, odontalgia, cephalalgia, qui cum tempore cessassent, etiamsi transplantatio non accessisset, quapropter & curationes ejusmodi si forte succedere videantur, inter eas quæ per accidens fiunt, recte refert *Wedelius*. Et ipsi transplantationis patroni eandem nil quicquam valere concedunt in morbis, quos sibi relicta ægrotantium natura non sanaret. *Scholzius* exemplum febris per transplantationem curatæ adducit, simul tamen addit, in locum febris dolorem colicũ atrocissimum successisse, sine intermissione durantem, & vix selectissimis remediis post aliquot dies cedentem. Non autem novum est, febres intermittentes tandem absque remediorum usurpatione desinere, remanente aliqua colica, cur igitur febrem hanc transplantatione curatam asseremus, quæ circa junium, utpote solstitium æstivum, hoc modo per se desiisset, etiamsi ungues caudæ piscis alligati, inque amnem submersi non fuissent. *Diss. §. 52.* *Misc. Ger. Dec. 1. Ann. 3 obs. 89.*

12. *Quarto* in transplantationis methodo interdum remedia ejusmodi simul adhibentur, quæ per se morbo curando sufficiunt. Vir quidam celeberrimus transplantationis effectum exemplo probaturus, addit panes calidos juncturis applicatos, eoque sudores sub tegmine prolectos, id quod tamen febri quartanæ curandæ per se suffeciisset, nec transplantatione amplius opus fuisset, ceu *Borrichius* tertianam exquisitam lagenis aquâ fervente calentibus, corporique hinc inde circum- *Act. Hafn. vol. 2. obs. 108* *Misc. Ger. Dec. 1. Ann. 3 obs. 238.*

circumdatis & ſudorem excitantibus plane ſuſtulit, eodemque modo *Scholzius*, gravidam rigore & frigore corporis inſolito aliquoties correptam liberavit. Recenſet etiam *Timæus à Güldenklee* methodum transplantandi podagram, ab ipſo tamen, uti fuit Medicus prudens ac circumſpectus, non commendatam; In qua ſi effectus quiſpiam ſequitur, magis is adſcribendus venit ſcarificationi ſingulis menſibus tribus diebus ante novilunium in parte affecta inſtitutæ, quam tranſplantationi, idem etiam in herniarum cura accidit. Illâ enim laborantes ac imprimis pueri, ſi ante ſolis ortum nudi per quercum ceraſive arborem fiſſam aliquoties trahantur, quid ad peritonæi proceſſus laxatos conſtringendos, atque inteſtina in abdomine conſervanda conveniens magis excogitari poteſt, atque proderit, etiamſi fiſſura arboris poſtmodum cerâ vel therebinthinâ non conglutinetur. Sæpe quoque tranſplantatio morbo jam devicto adhibetur, cujus inter alia egregium exemplum *Bartholinus* ſuppeditat, cum enim icterus internis externiſque aperientibus adhibitis jam diſpareret, urina naturalis exiſteret, fæces coloratiores ſenſim expurgarentur & omnia jam eſſent in vado, cur adhuc tranſplantatio adhibebatur.

Miſc. Ger. Dec. 1. Ann. 6 obſ. 140.

Lib. 5. Epiſt. 8

Act. Haffn. vol. 4. obſ. 23.

13. Accedit *quinto*, fortis ægrotantium imaginatio. Quæcunque enim ægro ideam inferunt contrariam, quod etiam ludicris & ſæpe non advertenter fit, faciunt, ut morbi imprimis quos Archæales vocant, eodem commoto ac terrefacto cedant.

Weſtphalus *Miſc. Germ. Dec. 3 ann 9 App. p. 204*

Wedelius *Diſſ. de Tranſpl. §. 54.*

14. Quod verò *Sexto* animalia & plantæ ægro, ſi modo verum eſt, convaleſcente emoriantur & marceſcant, cauſa manifeſta eſt; In excrementis enim ejusmodi aut cruore, non minus fermenti quippiam

mor-

morbosi latuit, quod uti in subjecto humano dispositio simile humorum vitium, ita in brutis statum quoque alium præternaturalem inducere potuit. Præterea recrementa ejusmodi interdum plane venenata existunt, ceu phthisicorum sputa virulenta muscas aliquando enecant. Arbores verò, si marcescunt inde est, quod ad medullam usque perforentur, hoc enim iisdem solum lethiferum existit. Panarolius *pent. 2. obs. 49*

15. Non raro quoque *septimo* pactum cum dæmone implicitum subesse, ceremoniæ quædam suspectæ simul adhibitæ, vanæque observantiæ, certa verba, sigilla, characteres, signationes, aliæque gesticulationes probant, quale pactum sine dubio primus inventor iniit, ac dein adhibentes, quamvis ignaros, judicio Inclytæ Facultatis Medicæ *Marpurgensis* simul implicat. Unde *Frommannus* recte usum ejus rarum ac circumspectum suadet, propter metuendum tum scandalum, tum periculum animæ, tum detrimentum famæ & existimationis. Valentini *Pandect med Leg. Tom. 1. p. 46. De Fascin. p. 1046.*

16. Eadem quoque curationum Magneticarum ratio est, quæ in vulneribus, hæmorhagiis aliisque quibusdam affectibus, pulveris sympathetici, aut unguenti armarii applicatione vulgo instituuntur; Namque & ipsæ *primo* cum ratione pugnant, utpote contactum Physicum non agnoscentes, qui tamen in omni curatione necessario intercedit. Curatio enim, ceu alteratio, mutationem particularum & texturæ, adeoque ex lege naturæ contactum corporalem, id est physicum inter corpus sanandum & medicamenta præsupponit, nec ullâ ratione ad distans succedit, ceu quoque actiones ejusmodi ab accuratioribus agnosci nequeunt, & sympathiæ, quæ efficaci effluviorum interventu non nituntur, nil nisi chimeræ sunt,

tantumque ignorantiæ, aut ſimplici credulitati aſylum præbent.

17. Deinde quoque hic, quod idem in tranſplantationibus morborum accidere dixi, experientia neutiquam ſuffragatur, ceu quidem de unguento armario confirmat *Thomas Bartholinus*. Sæpe etiam vulnus pro magnetice curato venditatur, quod dein ab aliis Chirurgis iterum apertum ac demum ex fundamento curatum eſt, quod in vulnere ad latus papillæ ſiniſtræ verſus ſternum inflicto, aliquando neceſſarium fuiſſe meminit *Hildanus*, & de pulvere ſympathetico paſſim exemplis imprimis apud *Blankhardum* ac *Riedlinum* confirmatur.

Act. Haffn. vol. 5. obſ. 92

Cent. 3. obſ. 25

18 *Tertio* quoque fundamentum curationum ejusmodi non minus lubricum ac tranſplantationum erat, & ex iisdem contra has allatis rationibus deſtruitur. Neque enim ſanguis in tam exiguâ ſæpe quantitate emiſſus ac inſuper refrigeratus, tantam effluviorum copiam ſuppeditat, quæ à pulvere ſympathetico aut unguento armario imprægnata, iterum ad partem vulneratam remeare, ac vulnus aliamve continui ſolutionem in eadem exiſtentem conſolidare queat; Alias ii, quibus interdum per levem venæſectionem aut vulnerationem ſanguis emittitur, putridiſque aut ignitis rebus affunditur, peſſimè ſemper haberent, & reliqua maſſa ſanguinea in corpore tota ſemper afficeretur. Imo maleficorum auribus naribuſque abſciſſis & alicubi ſub jove plerumque putreſcentibus, reliquum quoque totum corpus neceſſario corrumperetur, quod tamen iterum contra experientiam eſt. Nec oggeſtum ſemper exemplum Nobilis cujusdam Itali hic quicquam probat, qui, cum naſus ipſi præciſus eſſet, novum aliquem naſum ex carne ſervi ſui

adap-

adaptari curaverit, isque servo hoc post aliquod annos mortuo etiam simul putris deciderit. Hoc enim pro fabula declaratur à *Casparo Schotto*, qui licet bis in ea civitate fuerit, in qua illud accidisse rumor erat, nunquam tamen certior fieri potuit, propter indignationem incolarum, quoties ea de re quæreretur. *Ephemer. Erudit. Galli. ann. 6. p. 414.*

19. *Quarto* effluviorum ejusmodi vis activa certâ quasi sphœra circumscribitur, hoc enim ni foret, nemo à Basiliscis Lybicis, Dipsadibus Ægyptiacis, Draconibus Africanis, eorumque virulento afflatu tutus existeret, nullus à contagiosa qualitate halituum pestiferorum in locis remotioribus existentium securus permaneret. Effluvia enim ejusmodi aliorum atomorum non minus activorum, quibus aër nunquam non repletus est, occursu, ac imprimis à ventis interdum supervenientibus dissipantur enervanturque, haud secus ac aromatum odores, fumique alicubi adscendentes ab iisdem dissipantur. Nec effluviorum ejusmodi efficaciæ patrocinatur, quod canes è vestigiis herorum suorum eosdem ad aliquot interdum milliaria subsequantur, quod non nisi odoratu atomorum, vestigiis ejusmodi impressorum fiat. Ut enim non regeram vestigia hæc, ac cum iisdem canum odoratum aëris pluvioси injuriâ turbari ac sufflaminari, effluviorum talium ratio longe diversa est, utpote quæ canes quidem afficiunt, non tamen è vestigiis pedum ad corpus heri in distans iterum remeant, inque illo operantur, quod quidem in curationibus magneticis pro fundamento ponitur, ut scilicet effluvia ex sanguine vel pure aliâve materiâ emanantia (si modo tanta sint) ac pulvere sympathetico impressa, rationali quasi instinctu quodam atomo- Kircherus *l. 3. art. magn. part. 7. c. 2.* Muraltus *Misc. Germ. Dec. 2. Ann. 3 obs. 120.* Albinus *Idol. virgul. Divin. p. 221.*

rum ſibi amicorum in aëre ſubtiliori hoſpitantium ductum, veluti Ariadnes filum ſequantur, corpuſque hominis, è quo receſſerant, quamvis ſemotum iterum petant, illudque efficaciter alterent.

Blankhardus *Collect. Med. Phyſ. Cent. 5. obſ. 73.* Rolfinkius *Chymic. l. 5. p. 418.*

20. Accedit *quinto*, quod in curationibus his quædam ſimul inſtituantur, ex quibus ſimplicia vulnera, quæque nullam contuſionem, oſſium fracturam, luxationem, nervoſarum partium aut magnorum vaſorum læſionem conjunctam habent abſque interventu aliorum remediorum conſolidantur. Veluti ſi pulvere ſympathetico, quod per ſe adſtringit, vulnera conſpergantur, eademque urinâ vulnerati eluantur, eoque modo optimè á pure & ſordibus abſtergantur, bene diligenterque ab aëre defendantur, ceu quæ omnia ſic inſtituta per ſe vulneri cuipiam curando ſufficiunt; Unde & curationem ejusmodi magneticam inter eas, quæ per accidens contingunt, recte Illuſtris *Wedelius* refert. Idem quoque cum pulvere ſympathetico in hæmorhagiis accidit, ut mirer primo loco eundem in curatione quadam hæmorhagiæ narium feliciter peracta poni, cum tamen cordialia, alterantia, adſtringentia & demulcentia interna ſimul exhibita omne negotium ſine dubio abſolverint.

Diſſp. de Tranſpl. §. 53. Köhnius *miſc. Germ. Dec. 3. ann. 5 obſ. 82.*

21. Atque ex his, quæ paulo prolixius contra curas ejusmodi ſympatheticas diſputata ſunt, facile quoque apparet, quantum tribuendum ſit iſti curandi proceſſui, ubi mediante ægri urina, inſperſoque huic pulvere ex vitriolo, ſale & alumine, in eodem quamvis ſemoto adeoque etiam ad diſtans, ſudorem producere, vomituſque & purgationes ciere ſtudent, cujus Empirici meminit *Myrrhenius*. Quem curandi proceſſum, ſi certus ac determinatus quiſpiam effectus inſequitur, nec quod caſu interdum & ex accidenti obve-

Miſc. Germ. Dec 3. Ann. 9. obſ. 219.

obvenit coinciditque, eo refertur, idipsum fiduciæ ægri adscribendum, haut secus ac imaginationis vires in determinandis purgantium sudoriferorumque effectibus singulares existunt, ut interdum ab assumptis pillulis de cynoglossâ, imo micâ panis in pillulas redactâ purgatio subsequatur, aut ab emetico vitriolato sudor promoveatur. Quis etiam negaverit, id vi pacti cujusdam impliciti ad eum modum fieri, quem supra innui. Uti enim Magi alias per ea, quorum de homine ipso compotes fiunt, sanguinem scilicet, crines, sudorem, urinam, pus, teste quotidianâ experientiâ noxam quampiam inferunt, ita quoque dubitari nequit, & vel historiâ Duffi Scotorum Regis infra à me adductâ probatur, hoc casu per urinam ejusdam quippiam in effectum tradi, corpori primo gratum, animæ vero cum tempore triste. Nec obstat, quod vitriolum alumenq; res naturales sint, cum nil frequentius Magis sit, quam poma, pyra, libamenti frustula, illis quibus nocere intendunt, ad comestionem propinare, festucas aliaque frivola in viam projicere, lacertas subter limen ostii domus, bufonemque ollâ inclusum sub lecto ponere, ac alias res naturales intentioni suæ dæmoniacæ accommodare, juxta ea quæ in subjuncto *Epimetro* latius deducuntur. Laudatissimo sane instituto Illustrissimus Magistratus *Francofurtensis* famosum ejusmodi Doctorem sympatheticum, ægrorum lotio medicinam applicantem, & cum aliquali specie nugas suas exponentem, urbe sua paucos ante annos ejecit.

Pechlinus *obs. p.* 421. Paullini *l.* 4 *obs.* 21. Schrökkius *Misc. Dec.* 2. *Ann.* 1. *obs.* 43 *schol.* §. 15. *Epimetro* §. 29 Delriol. 3. *p.* 460. 398. Frommannus *de Fascin. p.* 685. 599. Valentini *Declam.* 5 *p.* 48.

22. Restat adhuc quædam curationum Empiricarum species, quâ uno aliquo remedio omnium morborum medela suscipitur, quod e apropter Medicinæ universalis, panaceæ, Lapidis Philosophorum, tinc-

turæ

ſturæ ſolis vel auri nomine venit. Optimum ſane commentum, quo ægris medicinas omnes nauſeantibus nihil acceptius eſſe poterit.

23 Verum enim vero cum morbi ipſi diverſarum ſint ſpecierum, tanta etiam cauſarum diverſitas, tanta ſymptomatum ſæpè in uno morbo contrarietas, tanta denique circumſtantiarum ab ætate, ſexu, anni tempore, vitæ genere, victus ratione, innumeriſque aliis deſumptarum varietas, quis quæſo ſibi perſuaſerit, omnibus his cautelis uno eodemque remedio ſatisfieri poſſe, uno ſcilicet eodemque remedio humores peccantes per alvum, ſudorem, urinam educi, ſimulque motum ſanguinis inteſtinum modo promoveri, modo refrenari, acrimoniam temperari, viſcoſitatem attenuari, aciditatem corrigi, ac inſuper modo ſomnum, modo vigilias conciliari, & ſexcenta alia inter ſe pugnantia in diverſiſſimis etiam ſubjectis, uno inquam eodemque remedio produci.

24. Hanc aſſertionem meam datâ operâ impugnare inſtituit Clarmus D. D. *Johannes Henricus Cohauſen* Civis Noſter ac Medicus Provincialis Monaſterienſis. Anni ſcilicet elapſi ſunt aliquot, ex quo *Diſſertationem* quandam *de vitâ longâ* in publicum ederem, eamque CELSISSIMI quondam EPISCOPI atque PRINCIPIS Noſtri Miniſtro primario, pro more literatis omni ævo familiari inſcriberem, non eâ quidem intentione, ac ſi novam quampiam Medicinam ad ulteriorem vitæ prolongationem CELSISSIMO, jam octogenario majori proponere vellem, utpote cui à conſiliis medicis nunquam fui, quique ceu vitæ ac Dignitatum ſatur, Divinam benignitatem unicè illud, *cupio diſſolvi*, rogabat, ſed quod occaſione à longævitate PRINCIPIS, quæ in ore tunc omnium erat

erat, desumptâ, materiam ejusmodi aliorum exemplo publico scripto tractarem, ac simul *Illustrissimis Agnatis, Patronis meis gratiosissimis*, vegetam ejusmodi viridemque senectutem ex privatis rationibus mirantibus, spem adhuc vitæ longioris ex constitutione corporis & temperamento ejusmodi supereſſe ostenderem. Dissertationem hanc aliquot annis post Clarissimus Dn. D. *Cohausen*, à me nec in eadem provocatus, nec unquam alias lacessitus, sub censuram vocavit, quasi ad eandem ex officio constitutus fuisset, emissisque in publicum *Tentaminibus physico medicis curiosis* eandem *in præloquio*, multa narratione ab Aula primùm, ac si in illis causas medicas rimari permissum non esset, ad cathedram ablegare, deinde verò, quod existentiam medicinæ universalis in eadem negassem, ceu quoque adhuc pro ente chymico mere speculativo constanter habeo, thesin hanc simul refutare annisus est. Primo libri conspectu in re tam evidenti generoso contemptu isthæc vindicare mecum constitueram, utpote jam à viginti tribus annis, quibus invidiâ comite medicinam facio, censuris ejusmodi præcocibus obnoxius, postquam verò comperi, silentium meum sensim siniſtræ de me opinioni, aliisque de Medicis *Hildesiensibus* dicteriis ansam suppeditare, responsionem non amplius differendam judicavi, ne triumphus ipsi ante victoriam acclametur. Arbitratur autem Vir Clar^mus me *Universalistarum* (potius quorundã universalitatem ejusmodi suaviter sibi imaginantium) mentem non rectè percipere, cum illi non talem medicinam intelligant, quæ remediorum omnium particularium instar suos effectus exserat, sed quæ vires deperditas naturamque dote geniali renovet, ut hæc causas quaslibet occasionales intrinsecus removeat,

pag. 86.

quem naturæ medentis conatum poſtea motus quidam materiæ morbificæ per varias excretionum vias excipiat. Specioſa verba! Corroboret putatitia iſthæc medicina univerſalis tantùm naturam, ut poſtea motus materiæ morbificæ per varias excretionum vias ſequantur; ſane hac ratione non ſtatim eâdem medicinâ ſimul omnes morborum cauſæ præciduntur, quarum pleræque, ut Ipſe non negabit, peculiarem medendi methodum in uno affectu, ne dicam per omnes morborum claſſes ſibi vendicant, adeoque ſub Univerſalitate unius medicamenti corroborativi ſe comprehendi neutiquam patiuntur. Aliâ enim methodo, aliisque remediis curabitur vomitus, qui eſt à cruditate ciborum, alio modo, qui ab aſſumptis venenis oritur, alio, qui à ſpirituum animalium ἀλαλία in hypochondriacâ ac hyſtericâ diatheſi, vulneribus cranii, calculoque renum, alio, qui in inflammatione ac ulcere ventriculi, alio, qui à tumoribus orificia ejusdem obſtruentibus, alio, qui ab inteſtinorum anguſtia in herniis meſenteriique obſtructionibus, & quis omnia circa unum tantum hunc affectum momenta in praxi occurrentia recenſeat, ac ad unum remediũ corroborativum reſtringat. Ita vero cum aliis morbis quoque comparatum eſſe, nemo etiam extra profeſſionem Medicam conſtitutus, negaverit. Quin quod amplius eſt, multiplex ille ac pene incredibilis cauſarum tam internarum, quam externarum concurſus, ac ex iiſdem emergentia indicantia non raro ſe invicem deſtruentia, quibus ſupra curationem morbi etiam methodice inſtitutam impediri dixi, qualem non remoram injicient uni cuipiam medicamento putatitio Univerſali. *Secundo* corroboratâ naturâ non ſtatim excretiones materiæ morbificæ ſequuntur, quod

Sect. I. num 12.

quod inter alia vel evidenti hydropis exemplo patet, qui ſolis confortantibus nunquam curatur, ſed peculiaria evacuantia, hydragoga imprimis, diuretica, ac diaphoretica pro cauſarum ratione requirit. Quod vero *Tertio* idem *Vir Clariſſimus* ejusmodi medicamentum promittat, pro diſpoſitione utentis modo vomitus, alvique dejectiones excitans, modo per urinam ſudorem, inſenſibilem transpirationem ſalivationemque agens, modo vigilias ſomnumve concilians, & licet idem ſemper maneat, ſexcenta alia præſtans, ſuper eo ipſi gratulabor, & erit mihi magnus Apollo. Sane non video, quo pacto inter tot præmatura ubiq; (etiam in *Weſtphalia*) Magnatum funera, per haut ignota ventriculi hypochondriorum, renum, pectorisque capitis & artuum vitia abreptorum, panaceæ ejusmodi, ſiquidem exiſterent, latere amplius poſſent, aut non melius inclareſcerent. Bonum vero factum! quod *Quarto* Tincturarum ejusmodi ac medicinarum univerſalium præcones, venæſectionem, laxativa, aperitiva aliaque ſimul conjungant, imo nec panaceas ſuas ſine diſcrimine quibusvis ægris propinandas ſuadeant, magno ac eleganti argumento, quod ſuæ ipſi medicæ, ſi Diis placet, omnipotentiæ diffidant, atque ad medendi methodum provocent, cum quâ tamen univerſalitas medicamenti cujuspiam aperte pugnat. Atque hæc in reſponſionem *Viro Clariſſimo* ſufficiant, iisque addat, quæ *Sennertus*, *Rolfincius* & anno ſuperiori Lipſiæ doctiſſimus *Lehmannus* peculiari programmate contra imaginariam ejusmodi univerſalem medicinam argumenta amplius urgent, quorum certe Virorum in Chymiâ peritiſſimorum rationes potiori apud me loco ſunt, & ut ſpero, impoſterum quoq; apud *Cl. Dn. D. Cohauſen* erunt, (quamvis etiam per me

Ludovici *Pharm. modern. Diſſ.* 1. *p.* 46.

l. de Conſenſ. Chym. c. 18.

Chym. art. l. 1, *c.* 9.

ſenſu ſuo abundet) ac vana quorundam promiſſa, crumenis Magnatum tantùm inhiantium, eaque propter non niſi aurea, ſolaria, balſamica & neſcio quæ non à paradiſo uſque repetita pompoſa entia vendi-
Valentini *Declam.* 5. § 38 tantium, quæ tamen vulgaria plerumque ac obvia exiſtunt, alieno tantùm nomine inſignita, neque cognoſcantur, colore ac odore imbuta.

SECTIO VI.

DE PHARMACOPOEORUM FUNCTIONIBUS.

I.

CUm moderno ævo ita comparatum ſit, ut Medici conſulendo tantùm ægris ſuis ſubveniant, nec manuum operam, ceu olim amplius accommodent, ſpecialia Pharmacopœorum, qui medicamenta à Medico ordinata conficiant, Chirurgorum, qui in caſibus externis eadem applicent, vel inſtrumentis quoque curent, ac obſtetricum, quæ mulieribus in partûs negotiis ſuccurrant, officia emerſerunt, ita ut ſingulorum certus quaſi & à Medicis quoque diſtinctus ordo nunc conſtitutus ſit.

2. Cum tamen non rarò accidat, ut *primo* in Pharmacopoliis præſcripta Medicorum non eâ quâ debebant diligentiâ, imo interdum quoque minus recte elaborentur, *ſecundo* materia adhibeatur exoleta vel adulterata, hincque æger vel non juvetur omninò, vel, quod pejus eſt, lædatur, Medicusque ipſe male audiat, ac inſuper *tertio* hic in errorem ducatur, ſuſpicans ſe aut de morbo non recte judicaſſe, aut convenientem medicinam non adminiſtraſſe, & *quarto*

Phar-

Pharmacopœus in præjudicium unius Medici, quo ægros ab hoc ad alterum transferat, formulas ab eo præscriptas carius æstimare queat, non pauci in contrariam sententiam inclinant, ac imprimis *Rolfincius*, *Bohnius*, *Blanckhardus* præstare arbitrantur, ut Medicus ipse domi suæ medicamenta componat atque dispenset; Imo certis quibusdam casibus ipsis à Facultate Medicâ *Lipsiensi* imponitur. Quoniam verò & Medicus ipse ob penuriam temporis, quod maximam partem in visitandis ægris consumit, præparationibus ejusmodi vacare nequit, adeoque hac ratione easdem aliis quoque committere teneretur, qui in iisdem punctis cum Pharmacopœis errare possunt, & præterea pro conscientioso ac jurato Pharmacopœo ea præsumptio militet, quod singulas Receptorum formulas, etiam pro vilissimo rustico scriptas, omni diligentia præparet, decentius omninò cum Facultate Medica *Wittebergensi* & *Lipsiensi* arbitror, ut Medicus medicamentorum dispensationes Pharmacopœis rite constitutis relinquat, cum & hoc modo insuper suspicionem quæstus illiciti declinet. FERDINANDUS Episcopus Paderbornensis & Monasteriensis, Baro *Fürstenbergius*, Medicis ejusmodi mulctam decem imperialium, ordinatio vero Pharmaceutica *Francofurtensis* decem florenorum imponit, idque his ex rationibus, partim ut Pharmacopœi merces suas justo pretio iterum vendere & absque damno subsistere, partim etiam, ut recentioribus simplicibus ac materialibus se subinstruere valeant, partim quoque ut Medicus, quoniam formulas manu suâ consignatas ad Pharmacopolium misit, exin si quid commiserit, convinci possit. Interim tamen Medico convenit, nosse modum præparandi medicamenta, tum ut Pharmacopœo-

L. 1. Chym. c. 13. De offic. p. 427. Collect. med. phys. Cent. 6. obs. 96.

Zitmannus *Med for. cent 4. cas 96. & cent. 6. cas 3.*

Ammannus *Med. Crit cas 25.*

Zitmannus *Med for. cent 2. cas. 59. 76*

Constitut. Pharmac. tit 1. §. 3.

copœorum errores detegere ac corrigere, inque visitatione de bonitate medicamentorum judicare, tum ut in casu necessitatis ac absentiâ pharmacopœi ipse medicamenta miscere sciat.

3. Non tamen hoc ipso vulgò sic dicta arcana ac secreta Chymica, quæ quispiam aut à parente suo edoctus est, aut quoque ipsemet invenit, aut etiam ab alio ære suo comparavit, comprehenduntur, utpote quæ sententiâ Facultatis Medicæ *Lipsiensis* Doctoribus Medicinæ legitime promotis intra privatos parietes elaborare, & vel ægrotis justo pretio distrahere licet, modo ne quid contra christianam charitatem, aut propriam conscientiam fiat, judicio iterum Facultatis Medicæ *Wittebergensis* & *Lipsiensis*. Vel etiam jam præparata pharmacopœo pro legitimo pretio erogare & quidem tantùm, quantum de iisdem rursus intra semestre vendere possit, ut habet constitutio MAURITII *Hassiæ* Landgravii. Neque enim ad revelationem eorundem quispiam obligari potest, cum medicamenta prostitutione vilescant, & quæ in primorum inventorum manibus magnæ efficaciæ erant, ea limites privatos transgressa, dein in opere deficiant, quod ab aliis privati commodi respectu promiscue & sine judicio adhibeantur. Nomine autem arcanorum non vulgaria quædam officinalia ac obvia, veluti Laudanum opiatum, cortex Chinæ, spiritus aliquis volatilis, aliaque alieno tantum colore aut formâ, ne cognoscantur imbuta, ac peregrino pompososque titulo insignita intelliguntur, hæc enim, qui sub arcanorum nomine vendit, falsarius est, responso Facultatis Medicæ *Lipsiensis*; Cujus etiam judicio ad genuinam arcanorum naturam requiritur, ut ab erudito & conscientioso Medico inventa, longo usu & singulari effectu

Zitmannus *cent. 4. cas. 96*

Ammannus *Medic. Crit. cas. 25.*

Zitmannus *med. for. cent 2. cas 59. 76. 77.*

Rolfincius *Chym. l. 1. c. 4*

Zitmannus *med. for. cent 1. cas. 53 & cent. 2. cas. 59*

fectu ac ſucceſſu approbata ſint, & præ cæteris officinalibus ſingularem ac de aliis non prædicabilem effectum edant.

4. In conſtitutione autem pharmacopœi eo maximè reſpiciendum, ut ſit vir bonus, infucatâ pietate & charitate erga proximum conſpicuus, humanus, placidus, affabilis, benignus, alacris, imprimis erga pauperes mitis, ſemper neceſſitatem ægri reſpiciat, conſcientiamque in omnibus obſervet, nec pretio nec gratia ad mala impellatur; *Secundo*, ut ſub ſolerti ſuæ artis magiſtro didicerit, inque aliquot pharmacopoliis ſe exercuerit. *Tertio*, ut exactâ ſimplicium omnium cognitione imbutus ſit, eademque calleat viſu, guſtu, olfactu, aliiſque debitis modis examinare, veraque à falſis, adulterata à ſinceris diſcernere, ſimplicia debito tempore colligere, rite diſponere, conſervare, compoſita & medicinam quamque recte præparare, quæque alia formulis juramentorum, præſertim *Dresdenſis* includuntur. *Quarto* juxta arbitrium *Valerii Cordi*, *Ludovici ab Hornigk*, *Johannis Danielis Horſtii*, *Zacuti*, *Ridlini*, latinæ linguæ probe gnarus ſit, ut ea quæ eruditi Medici vel in genere vel in ſpecie præſcribunt, recte & exacte intelligat, nec pro enula legat eſulam apud *Thönnerum*, pro nitro Antimonii vitrum ejusdem apud *Bierlingium*, pro cinnabari cinnamomum apud *Riedlinum*. *Quinto* ut facultates ipſi mediocres ſint, ita enim nec lucro nimis inhiabit, & commode habitabit, & medicinas juſto tempore quam optimas ſibi comparabit. *Sexto* ut fides ejus juramento quodam obſtringatur, cum in Pharmacopoliis non raro minimis ex rebus maximum detrimentum in corporis animique bona cujuſpiam redundare queant.

Zitmannus *Cent. 3. caſ. 12*
Diſpenſat. proem.
Diſpenſat. part. 1. l. 1. c. 2
Prax. Admir. l. 3. obſ. 140.
Lin. An. 5 p. 84.
Lib. 6. ep. 20
Adverſ. curcent. 1. obſ. 25
Lin. Ann 6 p. 188.
Valentini *Pandect. part 1. p. 559. 684.*

5. Quam-

5. Quamvis autem prudens medicus paucis usu probatis medicamentis se assuefaciat, eaque pro varietate circumstantiarum disponat, ut adeo necesse non sit, plurium compositorum farragine Pharmacopolia obruere, præstat tamen etiam, ut vulgaria cuncta, quæque à plebe ex iisdem petuntur, & absque medici præscitu adhibentur, in iisdem quoque exstent. Ne verò eadem detrimenti quippiam patiantur primò materialistis seu simplicium compositorumque in grosso, ut loquuntur, mercatoribus (de quorum commerciis qua ratione cœperint, erudite agit *Thomas Garzon*) interdicendum, ne simplicia compositaque sua in particulari vendant dispensentque, multo minus receptorum formulas ægrotis elaborent, quorum neutrum quoque ipsis competit juxta ea quæ copiosius à *Ludovico ab Hornigk* deducuntur. Deinde Aromatariis, qui à materialistis ceu species à genere differunt, ut aromatibus culinariis, quæque eo pertinent vendendis tantum contenti sint, nec quicquam ad pharmacopolium pertinens vendant, uti Rhabarbarum, folia sennæ, radicem Hellebori, Colocynthidem, semen Santonici, Guajacum, Chinam, Sarsaparillam, Sassafras, & judicio Facultatis Medicæ *Lipsiensis*, aromata pure medicamentosa Zedoariam, Galangam, Calamum aromaticum, Cardamomum, Cubebas, Corticcs citii, aurantiorum, quamvis de posterioribus, cum in culinis quoque adhibeantur, non inique dubitaveris. Præterea Theriacam, Mithridatium, conservas aquasque destillatas, ceu quibus præparandis operam non dederunt, atque etiam rite dispensandis nullo juramento, uti quidem Pharmacopœi, adstricti sunt. Imo etiam si Aromatarii ejusmodi artem pharmoceuticam didicerint, vel ante hac exercuerint, tamen respon-

Piazz. Univers. Dis 89.

Valentini *pand. part. 1. p. 565. 683.*

Zitmannus *cent. 3. cas. 92.*

ſponſo ejusdem Facultatis ipſis prohibita manet dictarum materiarum venditio, & deſtillatores aquarum & ſpirituum vinoſorum, à compoſitorum elaboratione abſtinere tenentur, quæ inter variæ aquæ vitæ tinctæ & Aſthmaticæ ab eadem Facultate numerantur. Quot autem pharmacopolia in civitatibus conſtituenda, loci cujuslibet conditio ſuppeditat, multitudo certe illorum non parum ob non unam rationem nociva.

Zitmannus *cent.2. caſ.38.*

Zitmannus *cent.3. caſ.98* *cent.4.caſ.80.*

Bierlingius *Theſ. pract. p.* 1159.

Zitmannus *cent.1. caſ. 21*

6. Cum verò pharmacopolia medicorum quaſi armamentaria exiſtant, omnino horum inſpectioni illa committenda, qui ſtatis temporibus interdum etiam, ut in ordinatione Pharmaceutica Francofurtenſi conſtitutum eſt, ex improviſo easdem viſitent, ſumptibus tamen publicis, interdum verò & pharmacopœi, ſi ille viſitationem deſideret; Statuta provincialia Saxonica iis, qui viſitationes ſibi injunctas intermiſerunt, quingentorum florenorum mulctam dictant. Viſitatio autem ejusmodi ad minimum in anno ſemel peragenda, non quidem eum in modum, qui in Belgio obtinet, ubi ſola tantùm purgantia ſimplicia & compoſita examinantur, ſed quæ ad totum corpus pharmaceuticum ſe extendat, in ea vero Medici explorabunt, an etiam materiâ medicâ legitimâ & recenti inſtructæ officinæ, & pharmacopœi pretio à taxa conſtituto contenti ſint, ut in conſtitutione Regia *Hafnienſi* eſt. Pharmacopœus verò non ſolum monſtrare tenetur, quæcunque fuerit juſſus, ſed & Medicus ipſe in favorem Pharmacopœi nihil faciat, proſpiciatque imprimis, ne medicamenta, ſemel in viſitatione rejecta pauperibus dein viliori pretio vendantur; Cum enim corrupta exiſtant, ſanitas humana ab eorundum uſu non parum labefactatur, niſi fue-

Idem *cent.1 caſ.* 19. *cent* 8 *caſ.* 68. 84.

Valentini *Pand. part.* 1. *p.* 595.

Ammannus *med. crit Diſcurſ.* 38.

Valentini *Pand. part.* I. *p.* 601. Ridlinus *lin Ann*, 3. *p.* 815.

rint ſyrupi, electuaria, conſervæ, quæ partim debitam conſiſtentiam amiſerunt, partim ſitu obducta ſunt, adeoque purificari & reparari poterunt. Singula verò Medicus probe examinabit, ſuaque manu in diſpenſatorio conſignabit tempus elaboratæ compoſitionis, quantumque ab anno in uſum ceſſerit. Utque fraus omnis præcaveatur ſchedulam pyxidi appendet, manu ſua ſignatam, quod ipſum conſtitutio Pharmaceutica *Auguſtiſſimi Moderni* BORUSSIÆ REGIS adeo neceſſarium judicat, ut compoſitum abſque ſchedula ejusmodi comparens pro non genuino judicet. Vix autem quempiam Pharmacopœorum repertum iri arbitror, qui ſub viſitatione medicamenta quædam ab aliis mutuo ſumat, ac poſt eandem peractam remittat.

Pinellus *l.* 5 *pœnit. p.* 289. Zitmannus *med. for. cent* 2. *caſ.* 76.

7. Miniſtri Pharmacopœorum non prius admittendi, quam artis ſuæ teſtimonia exhibuerint, ac præſertim cum ab alio loco adveniunt, à medico ordinario de novo ſaltem per diſcurſum examinandi. Diſcipulus, qui in tertium annum ſervivit, atque à Medico ad formulas quotidianas elaborandas aptus judicatur, admitti poteſt, uxor verò Pharmacopœi, ancillæ aut ignarus aliquis tyro omnino ab elaborandis medicamentis arcendi. An autem famuli ejusmodi juramento quoque adſtringendi, uti quidem in conſtitutione pharmaceutica *Haſſiaca* jubentur, recte in dubium vocat Illuſtris Facultas Medica *Gieſſenſis*, cum ſub inſpectione ac directione Heri ſui, iidem functiones ſuas peragant, is verò ad facta miniſtri præſtanda obligetur, ita ut juxta reſponſum Jctorum *Altorffienſium*, ſi hic deliquerit, ab ipſomet ratio & vindicta exigatur, adeoque ſimplex hujus promiſſio ſtipulatâ manu facta ſufficiat. Illis tamen, qui proviſo-

Valentini *Pand. part* I *pag.* 560. 575. 668.

ris

ris apud viduam quandam, aut in minori pharmacopolio officio funguntur omnino illud deferendum arbitror.

8. Taxa medicamentorum non una ratione conſtituitur, in reſpectu ſcilicet ad materialia ſimplicia & compoſita, quæ à pharmacopœo paratâ pecuniâ, & quidem monetâ argenteâ emuntur, vel ad laborem, tempus, atque ſumptus, qui in præparando conſumuntur, vel ad domicilium Pharmacopœi, miniſtros & famulos, quorum neutrum abſque expenſis habet, vel ad ea tam ſimplicia quam compoſita, quæ morâ temporis corrumpuntur. Ne autem Pharmacopola iniquiùs exigat, emptorque æquum deneget, uniuscujuſque loci Magiſtratus commode juſtam taxam determinat, eoque modo proſpicit, ut ſicut emptori de genuinis medicamentis, ita & pharmacopolis de honeſto lucro proviſum ſit, bene conſiderando hos tam ſimplicia quam compoſita ſua non uno ſemper pretio comparare, & in medicamentorum præparationibus, præter rei ſubſtantiam ac expenſas, damna quoque, ut dictum, emergentia & plura alia pretio eſſe digna. Ratione tamen mercium exoticarum, quarum pretium nunc decreſcit, & propter monetarum devalvationes ac confuſionem, perpetuam ejusmodi ſtatamque taxam præſcribere admodum difficile videtur, ut rectius hoc ipſum pharmacopœo cuique ſecundum juſtum & æquum relinquatur, & aut moneta gravi bonique pagamenti ipſi ſingula perſolvantur, aut ſi quiſpiam eâdem deſtituitur, æreâ quidem vel novâ quoque moneta ſolvat, eo tamen valore, qui tempore iſto introductus, aut gravem monetam adæquet. Ita nemo læditur, cum aliàs, ſi quod ſub initium belli tricennalis Germanici accidit,

Zitmannus *cent. 4. caſ. 15.*

Boudevvinus *Ventil. l. 2 qu. 7.*

Ammannus *Medic. Crit. caſ. 16.*

unus Imperialis quindecim florenos valeret, Pharmacopœi damnum nimis enorme paterentur.

9. In ſpecie obſervet Pharmacopœus, ut arti ſe totum tradat, nec alteri cuidam negotio ſimul vacet, uti agriculturæ, poſtarum curationi: Vel quoque ad anni quadrantes peregrè abeat, officinamque uxori vel famulis juramento non obligatis committat. Ex qua ratione etiam liberos eosdem à Tutorum officio declarat Illuſtris Faculras Medica *Lipſienſis*. Pertinet huc vini aduſti cauponaria, quam in Pharmacopoliis minime tolerandam eſſe, quod famuli, hoſpites potores obſervantes, circa præparationem medicamentorum & receptorum in ſtrepitu ejusmodi multis modis errare poſſint, bene cenſet Facultas eadem.

Zitmannus *Cent. 2. c. 76. Cent. 1. caſ. 38*

Zitmannus *Cent. 5. c. 58.*

10. Ne de formulâ Medici, ejuſque imprimis ingredientibus ac doſi erga ægrotos eorumque famulos judicium ferre ſuſtineat, cum de intentione Medici circumſtantiiſque ipſi necquicquam conſtet, ac judicio ejusmodi dando captus ejusdem longe minor ſit, utpote pharmaciâ tantum, minimâ artis medicæ particulâ, inſtructi, adeoque ad ferendum judicium practicum minus apti, ceu quod exactam omnium medicinæ partium notitiam præſupponit. Quo accedit quod effectu ut plurimum Medici intentioni reſpondente, Pharmacopœus ipſo opere non abſque riſu refutetur, ac ad clyſteres applicandos ablegetur; Pari ratione quoque ipſi non convenit, inter Medicos diſtinguere, atque ægris alium quempiam confarreatum præ alio modis omnibus commendare; Quod ſi vero in formulis quippiam fundamentis artis contrarium occurrat, aut exceſſus in doſi veluti purgantium unâ vice ſumendorum notetur, ſuper eo

Ridlinus *lin Ann. 5. p. 195.*

Valentini *Pande. part. 1 l. 583.*

Zitmannus *Cent. 3. caſ. 22.*

Zitmannus *Cent. 5. caſ. 100*

prius

prius cum autore ipſo, aut in abſentiâ ejusdem cum Medico loci ordinario conferendum ipſi eſt, quam vel ipſe mutet, vel petentibus ægris confectas tradat.

Valentini *Pand. part. 1. p. 703.*

11. Ut juxta monitum Collegii Medici *Auguſtani* manus ipſimet moderando igni adhibeant, atque imprimis Chymica remedia ipſi præparent, adeoque non miniſtris ſolum concredant, vel parata jam ab aliis laborantibus emant; Facillime namque error in illorum præparatione committitur, præſertim noſtro hoc ævo, quo quivis ciniflo ac idiota Chymicum ſe venditat. Aliorum autem compoſita fingere, idq; appoſito autoris locique nomine, ceu pulverem aliquem viperinum in trochiſcos redigere, eoſque Pharmacopœi Paduani nomine ac ſigno inſignire, falſum Pharmaceuticũ rectè vocat Facultas Medica *Lipſienſis*.

Ammanus *Medic. Crit. Diſcurſ. 38.*

Zitmannus *cent. 2. caſ. 100*

12. Ut in componendis medicamentis præter diligentiam etiam munditiem adhibeat, nec imprimis in pyxidibus ac mortariis, poſt venena, Tartarumq; emeticum, cantharides aliaque ſimilis generis in iisdem præparata, ſtatim interna medicamenta conficiantur.

Paulini *obſ. p. 36.*

13. Ut formulas remediorum accuratè curet, ne illæ permutentur, & cui aqua cordialis præſcripta fuit purgans pro alio ordinatum accipiat, aut decoctum pro uſu externo alteri præſcriptum, alter intus ſumat.

Hildanus *præf. obſ.*

Ridlinus *Lin. Ann. 6. p. 20.*

14. Nunquam in eſſentialibus à præſcripto Medici, conſilioque deflectat, quid pro quo ſubſtituat, loco ſacchari in potionibus melle utatur, loco Cinnabaris veræ ſutoriam vulgo ſic dictam, pro aquâ Theriacali, acetum cum Theriaca diateſſeron, loco emplaſtri de ranis cum mercurio ſumat emplaſtrũ de ranis ſimplex cum mercurio ſublimato, & quod ridiculum ſummamque inſcitiam arguit, loco ſyrupi dialtheæ, ejus-

Buſenbaum *Theol. mor l. 4 p. 392.*

Zitmannus *cent. 2. caſ. 76*

Boudevvin *part. 2. qu. 7.*

Thonnerus *l. 6. Ep. 20.*

Ridlinus *lin Ann. 4. p. 8.*

Zitmannus *cent.5. caſ 9* Valentini *Pand. part. 1. p. 564. 645.*

dem unguentum, loco anodyni mineralis, qui lapis prunellæ eſt, pulverem anodynum ex opio aliisque præcipitantibus & adſtringentibus conſtantem, pro trochiſcis Alkekengi trochiſcos alhandal, loco Mercurii crudi in vermibus infantium præſcripti, mercurium ſublimatum. Imo ne quidem alia, quamvis viribus non admodum diſcrepantia abſque præſcitu Medici ſubſtituet. In abſentiâ tamen hujus Pharmacopœo id licitum eſſe Facultas Medica *Lipſienſis* concedit, præſertim ſi medicamentum præſcriptum non ſit officinale, omnibusque Pharmacopæis uſuale, ægerque non male ab eo, quod Pharmacopœus iſti ſubſtituit, habeat.

Zitmannus *cent. 1. caſ 93. 99. cent. 2. caſ 40. cent. 3. caſ. 42.*

15. Nunquam perſonis ſuſpectis indifferenter & abſque præſcitu Medici ordinarii, arſenicum, mercurium ſublimatum, præcipitatum, opiata, fortia purgantia, menſes moventia ſimiliaque abortum procurantia ſub quocunque etiam prætextu petentibus exhibeat. Venena autem eorumque pyxides ne quidem in promptuario Pharmacopolii, ad quod unicuique famulo aditus patet collocandæ, ſed peculiari loco includendæ,

Idem *cent. 2 caſ. 30.* Ammannus *med. crit. caſ. 6. 66.* Valentini *Pand. part. 1. p. 668.*

16. Quotidiana etiam quæſtio eſt, an Pharmacopœo non licitum ſit purgans, ſudoriferum, opiatum ſimilisque generis uni indicationi intentionive reſpondens medicamentum ægro petenti dare, vel quoq; eidem de imbecillitate ſtomachi, phthiſi, alioque evidente affectu conquerenti remedium quoddam ſuppeditare, cum formulas ejusmodi à medicis ad Pharmacopolium miſſas facile addiſcat, eorumque ſucceſſus plerumque ſciſcitetur. Verum Pharmacopœum ab omni plane praxi, adeoque etiam medicamenti ordinatione abſtinere debere, utpote quæ limites funcțio-

Zitmannus *cent. 6. caſ. 3.*

ctionis ejusdem non solum excedit, sed & planè superet, ceu in parandis tantùm juxta præscriptum Medici medicamentis versantis, rectè non solùm à *Bartholino, Boudevvino,* & *Bohnio* affirmatum, sed & ab Illustri Facultate Medica *Lipsiensi* plus vice simplici confirmatum est. Uti enim qui gladium conficit, non tamen statim eundem ex arte vibrare novit, ita quoque cum Pharmacopœis comparatum est, aliudque est medicamenti cujusdam præparationem nosse, aliud verò genuinum ejus usum ac dextram juxta fundamenta artis administrationem seu applicationem; Nec exigui quoque momenti res existit, vel solum purgans quoddam medicamentum ad omnes ægri morbique & accidentium circumstantias directum consignare, ne dicam homini, cujus constitutio corporis ignota est dare; Namque talia purgari debent, qualia oportet, ægrique facile ferunt, quem aphorismum *Hippocrates* tanti fecit, ut eundem quatuor vel quinque diversis vicibus in libris aphorismorum repetierit; Et leviora sæpe illos conficiunt, quos robustos judicares, fortia vero homines delicatæ, ut apparent texturæ interdum non movent. Imo Pharmacopœo ne quidem convenit, præscripta à Medico mutare, unumque alteri substituere, quâ ratione ergo ille purgans aliudve medicamentum ordinabit, ac medicum se finget. Quam male autem cuivis purgans expetenti iidem interdum suppeditent, quotidiana exempla docent. Quin & Pharmacopœo, qui etiam per annum in Academiâ Medicinæ operam dedit, aut post examen Chymicopracticum à Comite quodam Palatino in Doctorem Medicinæ bullatum promotus est, ne quidem praxis judicio Facultatis Medicæ *Lipsiensis* conceditur, cum ut suo loco demonstratum, præter Pharmaciam & Chy-

Cent. 2. Epist. 1.
Ventil. p. 331
De offi. p. 40
Ammannus *Med. Crit. resp. 65.*
Wolfius *obs. chir. p. 108*
Bierlingius *Adverf. Cur. obs. 57.*
Valentini *Pand. part. 1. p. 636.*
Zitmannus *cent. 6. cas. 6*
Riedlinus *Lin. Ann. 4 pag. 316.*
Zitmannus *cent. 5. cas. 87*
Bierlingius *Adv cur. obs. 48.*
Zitmannus *cent cas. 8 9. cent. 2. cas. 68.*

sect. II. n. 12. Chymiam adhuc plures partes ad medicinam ritè addiſcendam & pro conſcientiâ exercendam ſuperſint, quæ certe intra unius alteriusve anni ſpatium abſolvi nequeunt. Cur tamen in abſentiâ aut defectu Medici ac urgente neceſſitate, Pharmacopœi auxilium ſuum qualecunque petenti cuidam ægroto denegarent, rationem nullam video.

Valentini *Pand. part.* I. *p.* 585.

17. Alia verò res eſt, ſi Pharmacopœus in Academia quadam rite in Doctorem Medicinæ promoveatur, quo caſu praxin medicam legitimè quoque exercet, ita tamen ut judicio reſponſi academici *Gieſſenſis*, pharmacopolio valedicat, aut ad minimum proviſorem juramenti vinculo adſtringendum alat.

SECTIO VII.

DE CHIRURGORUM FUNCTIONIBUS.

I.

CHirurgia manuum vel inſtrumentorum ope morbos aufert, olimque à Medicis ipſis exercebatur, donec tandem paulo poſt *Galeni* tempora Romanorum imprimis Medicorum more ſeu propter ægrorum multitudinem, ſeu quoque externorum affectuum levitatem miniſtris committeretur, qui aliis operationibus jam frequentius adſtiterant, earundemque peritiam acquiſiverant. Hi ſucceſſu temporis Medicorum, quorum tamen conniventiâ emerſerant, directorio ſe planè ſubtrahebant, ac peculiare artis genus ſibi formabant, cum tamen Chirurgia à Medicinâ & Medico, ne conceptu quidem ſecerni valeat, & Medicum verum ſeu perfectum ſe gerere minimè poſſit, qui integram atque ideo externorum quoque humani corporis morborum curandorum cognitionem ſibi non acquiſiverit.

Bohnius *de offic. p.* 479.

2. Quam-

2. Quamvis autem istâ ratione morbi externi Chirurgiæ objectum evadant, eo ipso tamen Medici nullatenus ab eorundem curationibus excluduntur. Morbi enim externi curari nequeunt, nisi simul & corpus decenti modo expurgetur, sanguis corrigatur, confortantibus aliisque internis subveniatur, ac diæta præscribatur, quæ nullo modo à Chirurgis exspectari queunt, ceu qui per meram tantum empiriam agunt, quicquid præstant. Imo Medicis integrum manet, secus quidem ac Chirurgi opinantur, externa quoque ægro in morbis internis ordinare, veluti in anginâ gargarismos ac syrupos.

Primerosius *l.* 1. *Err. vulg c.* 10.

Bohnius *de offic. p.* 483.

Zitmannus *cent.* 1. *cas.* 28

3. Ex quâ ratione etiam fluit, ne Chirurgi quippiam absque Medici præscitu faciant, imo ne venam quidem secent, fonticulum excitent, aut etiam læsiones externas graviores, uti ophthalmias, ulcera pedum absque consilio ejus tractent; Hunc vero iidem ea propter semper advocent, ut causam internam morbum ejusmodi foventem aliaque impedimenta, seu ex interno fonte pullulantia, seu quoque externi affectus extraordinariâ constitutione orta removeat, adeo ut si hoc ipsum neglexerit dissuaseritque Chirurgus quispiam ægerque dein obierit, is ipse mortem intulisse sententiâ Facultatis Medicæ *Lipsiensis* rectè arguatur. Quod tamen non ita interpretandum, ut Medicus Chirurgorum rogatu in consilium adhibitus, horum tantum quasi jussa exsequatur, eorumque arbitratu ægros purget, aut sudare faciat, sed ut Medicus libere suo judicio, ac juxta regulas artis medendique methodum, quæ necessaria sunt peragat. Quapropter etiam, si quando Medici juxta Chirurgorum mentem in ordinatione non semper processerint, hi ipsi tunc eam medendi methodum, præscriptasq; formulas

Zacchias *Qu. l.* 6 *p.* 511 & 509.

Zitmannus *cent.* 1. *cas.* 28. 82. *cent.* 2. *cas.* 19. *cent.* 4 *cas.* 59.

Bulenbaum *Theol. mor. l.* 4. *p.* 392.

Valentini *Pand. Tom.* 1. *p.* 782.

Zitmannus *cent.* 4. *cas.* 92

Ammannus *crit. cas.* 34.

Zitmannus *cent.* 1. *cas* 28 *cent.* 2. *cas.* 59

nullatenus carpent, cum ſolus Medicus rationes ſuas noverit, cur hæc aut illa præſcribat, de quibus tertius quandoque Medicus, multo minùs Chirurgus quiſpiam judicare nequit, ut Facultas Medica *Lipſienſis* Chirurgo cuidam naſutulo hoc in caſu aliquando rectè reſpondit. Quin Medicus ordinata à ſe medicamenta Chirurgo etiam roganti revelare non tenetur, quod hic ſymptomatum atque circumſtantiarum diſtinguendarum ignarus, iis dein tantùm abutatur.

Zitmannus *cent.4.caſ.73*

4. Sit autem Chirurgus adoleſcentiæ propior, manu ſtrenuâ, ſtabili, nec unquam intremiſcente, eâque non minus ſiniſtrâ quam dextrâ promptus, acie oculorum acri clarâque, animo intrepidus, immiſericors, ſic ut ſanari velit eum quem accipit, non ut clamore ejus motus, vel magis quam res deſiderat, properet, vel minus quam neceſſe eſt, ſecet, ſed perinde faciat omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus ſequeretur. Verbo in Chirurgo Cor leoninum, manus virginea & oculi aquilini deſiderantur.

Celſus *lib.7. præf.*

Ronhuſius *obſ.chir.p.187*

5. Ante omnia corporis humani ſtructuram noſcat neceſſe eſt, ac præſertim oſteologiam, muſculorum ſitum, venarumque & arteriarum continuationes. Exſtat in conſtitutionibus FRIDERICI II. Imperatoris, ut nullus Chirurgus ad praxin admittatur, niſi teſtimoniales literas attulerit Magiſtrorum in Medica Facultate legentium, quod per annum ſaltem in eâ medicinæ parte ſtuduerit, & præſertim anatomiam humanorum corporum didicerit. Imo nec brutorum inſpectiones negligat, ex quâ ratione Chirurgus aliquando hircum domi ſecans eaque propter accuſatus, ſocietate tamenſuâ non excidiſſe, à Facultate

Ammannus *Med. Crit. Diſc.30.*

Conringius *Antiq. Acad. p. 56.*

tate Medica *Lipsiensi* judicatus est. Cæterum theoriæ ejusmodi neglectus Chirurgis in *Germania* tam peculiare vitium est, ut, quod *Zacchias* de Italis suis olim querebatur, vix ex decem unum aut alterum reperias, qui vel mediocriter hac in parte instructus sit. In *Belgii urbibus* Chirurgiæ prælectores stipendio publico constituuntur, qui linguâ vernaculâ theoriam ejusmodi profitentur. Deinde quoque requiritur in Chirurgo, ut quodammodo calleat scientiam mechanicam, quâ scilicet materia, quove apparatu instructa esse debeant instrumenta, quâve ratione emendari queant. Demum ut artis operibus frequenter interfuerit. Denique ut examen rite sustineat, & quasi in Magistrum artis suæ, juxta cujuscunque loci statuta, promoveatur, quod pro publico experientiæ illius testimonio habet Facultas Medica *Lipsiensis*; Examen verò Chirurgi speciale occurrit apud *Zitmannum* in medicinâ forensi.

Zitmannus *cent.* 1. *cas.* 34

L. 6. *Quæst. p.* 509.

Bohnius *de offic. p.* 501.

Zitmannus *Cent.* 4. *cas.* 60. 84.

Cent. 1. *cas* 88.

6. Chirurgis autem nullo modo convenit curationes morborum internorum, uti luis veneriæ, contracturæ aut alterius affectus scorbutici suscipere, aut quoque recepta ad Pharmacopolium scribere, sub quocunque etiam prætextu, veluti purgans pro paupere, qui Medico satisfacere non possit, ceu singula hæc non solum ex antecedentibus per se fluunt, sed & à Facultate Medica *Lipsiensi* confirmantur; Accedit, quod plerumque in dosi medicamentorum excedant, eaque si ipsi præparent non recte elaborent, ut vel exempla de Tartaro emetico probant. In casibus tamen facilioribus, & circumstantiis ipsis probe perspectis, decocta vulneraria probata suppeditare concedit Constitutio *Paderbornensis*. Quando autem ipsis ægri morbis ejusmodi contagiosis, uti lue veneriâ,

Zitmannus *cent.* 4. *cas* 84
Zacchias *Qu. l.* 6. *p.* 509
Zitmannus *cent.* 4. *cas.* 59
Ammannus *med. crit. cas* 61. 72. 34.
Zitmannus *cent.* 5. *cas.* 23.
Tit 5. §. 1. 6.

Zitmannus *med. for. cent 3. caſ. 82.* laborantes obtingunt, de iis ſemper ad Magiſtratum referendum ipſis eſt, ne occultando malum latius ſerpat, integraſque familias inficiat.

Zitmannus *cent. 1. caſ. 18. 19. cent. 4. caſ. 28.* 7. Nec etiam Chirurgis medicamenta præparare ac vendere licet, præterquam quibus in ſuis curationibus externe utuntur ; Imo ne aquas quidem tam ſimplices quam compoſitas parare ipſis convenit, præterquam quas ad gargariſmata, collyria, fiſtuias & pro cosmeticis adhibent, quæ omnia quoque de Balneatoribus valent.

Valentini *Pand. part. 1. p. 728.*

Zitmannus *cent. 3. caſ. 13.*

8. Hi enim ad Chirurgorum claſſem propriè pertinent, quamvis ſemper à ſe invicem diſtincti exiſtant. Cumque etiam Chirurgiam in tantum adiſcant, excolantque, operationes Chirurgicæ quoque uti Venæſectio, judicio imprimis Facultatis Medicæ *Lipſienſis*, & fracturarum ac luxationum curatio, indultu conſtitutionis Ducalis *Saxo-Vinarienſis* ipſis interdici nequeunt, niſi ſpecialia pacta inter utroſque alicubi aliud conſtituerint.

Wildfogelius *Diſ. de Balneis §. 19. 20.*

9 Cum vero ad chirurgicas operationes, herniæ quoque & calculi ſectio, ſuffuſionis ablatio, ſimiliumque particularium affectuum exſtirpationes pertineant, adeoque eapropter illis, qui in ſpecie has medelas profitentur, opus non fuerit; Quoniam tamen, qui ſpeciali cuipiam affectui curando operam dat, ac eapropter varias regiones ac urbes peragrat, ob concurrentes paſſim affectu ejusmodi laborantes multos ægros, multivariam quoque & majorem experientiam, encheireſinque acquirat, ac Chirurgus alius, cui utpote in uno ſaltem diſtrictu artem exercenti, non adeo ſemper talia exempla multa ſe offerunt ; Quapropter etiam non video, cur Operatores ejusmodi, ut vulgo vocantur, à loco quopiam, ad quem accedunt

dunt arceri queant, ſi præſertim ægri affectibus iſtis laborantes præſentiam illorum urgeant, & dein illi ipſi Medicis iſtius loci prævio examine peritiam ac experientiam ſuam dextre probaverint, ut in Conſtitutione medicinali *Haſſo Darmſtadinâ* eſt. Et hi ipſi tamen ſe intra limites ſuos contineant, nec aliorum morborum externorum medelas aggrediantur.

Valentini *Pand. Tom. 1. p. 434.*

10. Carnificibus verò praxin Chirurgicam recte interdicit Facultas Medica *Lipſienſis*, etiam ſi eandem jam ab aliquot annis exercuerint, & quibusdam in locis indultu publico fracturarum ac luxationem curationes in ſpecie ſibi vendicent.

Zitmannus *cent. 1. caſ. 19. 31.* Id. *cent. 4. caſ. 39.* Wildfogelius *Diſſer. de Balneis §. 20.*

SECTIO VIII.

DE OBSTETRICUM FUNCTIONIBUS.

I.

OBſtetricum officia, quamvis proprié ad Chirurgiam pertineant, utpote manuum encheireſi mulieribus in partu ſubvenientia, pudor tamen ſexûs intempeſtivus Chirurgorum manus plerumque non admittit, maluntque ſæpe, quamvis periculoſiſſimo in ſtatu conſtitutæ, ſub ineptæ cujusdam Obſtetricis nugis perire; Unde quoque peculiaris harum conſtitutio emerſit, earumque inter functiones meritò quoque refertur peſſaria & clyſteres injicere, uterum prolapſum reponere, & quæ inferius ſequentur.

Bartholinus *in act. Haffn. Vol. 1. obſ. 139.*

2. Illarum peritia porrò ſpectatur, ut de alicujus Virginis integritate ac defloratione dignoſcere ſciant, quod ipſum tamen in quantum valeat, Medicorum judicio primùm determinandum venit.

Zacchias *Quæſt. Med. Leg. l. 6.*

3. Deinde, ut de mulierum ad copulam maritalem inhabilitate judicent. Veteres easdem tanquam

Zacchias *l. c.*

pronubas conſtituebant, quæ mares fœminaſque apte jugarent, incongruè verò jugatas iterum diſcernerent, qua de re pluribus agit *Johannes Langius*. Hoc quidem Obſtetricum officium hodie recte obſoletum eſt, illud verò in notoriâ Obſtetricum imperitiâ à Medicis majori cum ratione ac certitudine exſpectaveris, qui tamen ſcrutamen hoc Obſtetricis unius atque alterius interventu peragunt.

L. 1. Ep. 49

Zitmannus *cent. 6. caſ. 48*

4. Communiter quoque adhibentur ad dijudicandum, an mulier gravida ſit. Cum verò hoc, ceu quoque in *Selectis meis Phyſiologicis* latius oſtendi, per fundatas conjecturas concludendum ſit, ad quod mulier non ſolum ex ſexûs imbecillitate, ſed & omni inſuper doctrinâ deſtituta, rudique tantùm quadam empiriâ gnara, inepta exiſtit, non mirum quoque, quod Obſtetrices interdum ſeptuagenariæ graviditatem pro humoroſâ ventris intumeſcentiâ venditent; Quapropter etiam, ſi Medici ac Obſtetrices hoc in negotio ſententiis inter ſe differant, illorum merito (niſi aliàs privatis ex rationibus ſuſpecti fuerint) judicio ſtandum eſſe, non ſolum Jctorum privatorum *Richteri*, aliorumque, ſed & ipſorum Scabinorum ac Prætorum ſententia eſt. Ad dignoſcendam verò graviditatem nullatenus Obſtetricibus convenit, experimenta quædam inſtituere, veluti aquam mulſam à cœnâ exhibere, aniſum tenuiſſime tritum ac aquâ dilutum, allium, galbanum ſuppoſita ſuffitusque, cum omnia hæc periculo non careant, & abortui anſam dent. Eadem difficultas eſt circa illarum judicia, quæ in Virginibus de puerperio ſuſpectis, atque inſtitutis eapropter ventris inſpectionibus ferunt, unde & à Facultate Medica *Lipſienſi* non niſi duobus tantum caſibus, lactis ſcilicet in mammis præſentiâ, uterique hiatu

Sect. XXIII. §. 29.

Zitmannus *cent. 4. caſ. 18*

Valentini *Pand. part. 2. p. 16.*

Bohnius *de offic. p. 570.* Zacchias *l. 1 p. 516.*

Zitmannus *cent. 4. caſ. 18. cent. 5. caſ. 11.*

tu

tu dignoscendo admittuntur, aliis autem rejiciuntur. Quod verò earundem judicio à lactis præsentiâ in mammis desumpto, responsum Illustris Facultatis Medicæ *Haffniensis*, aliaque exempla lactis in pueris quoq; ac viris interdum deprehensi, à me in *Selectis physiologis* adducta, contrariari videantur, eo ipso Virgines putatitiæ non absolvuntur, cum in casu Haffniensi *primo* fœminæ illud naturale & connatum fuerit, ejusq; sorori decimo sexto ætatis anno lac in mammis quoq; exstiterit; *Secundo*, à matronis loca partus ejusdem scrutantibus nil quicquam prægressam fœtus exclusionem arguens deprehensum fuerit, quæ duo signa proin Illustris Facultas Medica *Lipsiensis* recte conjunxit; Et *tertiò*, lactis in pueris ac viris reperti, longe alia ratio sit, ac ejus quod in puerperâ adest, tam quoad consistentiam, quàm alias circumstantias in thesi occurrentes. *Sect. XXV. §. 2.*

5. Ante omnia verò sciant Obstetrices ægre parturientibus opitulari, legitimum scilicet tempus ac genuinos partus dolores à spuriis distinguere, quando & quomodo gravida collocari ac tangi debeat, quâ ratione uteri orificium dilatandum, fœtus educendus, aut si moratur juvandus, sique pravum situm figuramve obtineat vertendus, aut pedibus extrahendus, quomodo secundina promovenda, reliquaque post partum bene administranda, de quibus in *Selectis meis Diæteticis* uberius egi. Vel etiam, quando matre mortuâ fœtum mediante sectione educere conveniat; præterea baptismum in casu necessitatis administrare, quâ conditione is instituendus, si infans non totus prodeat, unico tantum pede extrahatur, aut ipse partus monstrosus existat. *Sect. XI. cap. 1. & 6.* Ronhusius *obs. chir. 15.* Zacchias *l. c. p. 516.* Portalius *in Act Lips. an. 86. p. 305.*

6. Ad sexum verò infantis dubium discernendum seu

seu Hermaphroditæ inspectionem illæ solæ, etiam minus aptæ sunt, rectiusque hoc à Medicis atque Chirurgis peragitur, cum quantum hoc in casu vetularum harum oculi sæpe erraverint, non uno exemplo probatum sit & varii eorum modi à me in *Selectis Physiologicis* recensiti, non nisi à peritis Medicis distinguantur.

Bohnius *de offic. p* 569. *Sect. XXVIII.* §. 8.

7. Quandoquidem igitur arduum satis Obstetricũ officium est, necesse quoque ut illæ non nisi præcedente manuductione ab aliis senioribus Obstetricibus factâ ad hoc munus sumantur, unde quoque optimo consilio juniores senioribus adjunguntur, ut ab his artem discant. In *Dania* constitutione REGIA sancitum est, ut à Facultate Medicâ *Haffniensi* prius eruditantur, quam artem obstetricandi exerceant. Imprimis autem ex Anatomiis naturalem partium muliebrium conformationem sciant. Maximè enim absurdum quin detestandum est, cum nemini absque præviâ apprehensione opificium artemve minoris momenti exercere liceat, in re tam arduâ de vitâ matris ac infantis ludi, functionemque ejusmodi mulieribus ignaris, perque meram casualem empiriam tantum quasi sapientibus committi. Unde quoque non mirum easdem interdum carnem utero adnatam, imo uterum ipsum pro gemello habere, aut pro secundinâ trahere, corpusque matris & ipsius fœtus quoque multis sæpè modis vulnerare ac dilaniare.

Zacchias *l. c* §. 9.

Act. Haffn. Vol. I. obs. 139

Bohnius *de offic. p.* 574.

8. Antequam igitur constituantur Obstetrices, examinandæ prius sunt, non quidem à primariis in urbe uxoribus, ut alicubi ridiculus mos fertur, sed à Medicis atque Obstetricibus senioribus, & quidem juxta materias in antecedentibus ordine allatas. In examinibus verò ejusmodi nullatenus ipsæ de remediis mor-

Bohnius *p.* 572.

morborum muliebrium interrogandæ, cum hoc ipso tantùm arrogantiores reddantur, & quasi facultatem arripiant, temere & absque præscitu Medici remedia ejusmodi propinandi; Quamvis absente Medico,& in casu necessitatis illis tale quid non prohiberi queat, ut mox dicetur.

9. Steriles matronas Obstetrices constitui *Plato* recte dissuasit, quoniam humana atque imprimis muliebris natura imbecillior est ad artes earum rerum, quas nunquam experta est. *Haffniæ* aliquando examen quindecim Obstetricum peractum,quarũ singulæ liberorum duodecim matres erant, exceptâ unâ, quæ novem saltem, & alterâ, quæ septendecim liberos enixæ fuerant, ut etiam propriâ experientiâ se pro Obstetricibus commendare potuerint. Non necessarium quidem id esse fortè ex unâ atque alterâ ratione cuipiam videri posset, quibus tamen illud non tollitur, majorem experientiam circa graviditatem partusque negotia habere eas fœminas, quæ ipsæ peperunt, quam quæ planè steriles sunt. Viduæ autem ad Obstetricum functiones eò magis præ maritatis aptæ existunt, quod non amplius uterum gerant, adeoque omni tempore aliis fœminis officium suum commodare queant.

Bartholinus *Act. Haffn. vol. 2. obs. 21.*

10. Eo verò corporis robore sint, ut laboribus adhuc sufficiant, non ætatis nimis provectæ, aut natu juniores, valetudinariæ, tabescentes; Præterea in iisdem laudantur manus parvæ, agiles, digiti longiores & molliores, quique laboribus aliis callum non contraxerunt, nec per se rigidi curvique, vel flaccidi nimis ac laxi sint, imprimis verò sani existant, ne scabiem puerperarum partibus affricent, integrasque hoc modo familias inficiant. Luis veneriæ, quam

Ridlinus *lin. Ann. 3. p. 102*

Bartholinus *de Insol. part. viis p.* 170. meretricibus ejusmodi obstetricando facile contrahunt Obstetrices, hoc modo propagatæ, singulare aliquando exemplum accidit, quâ Obstetrix infecta ultra triginta familias infecit, dissidiaque imprimis inter maritos & uxores seminavit, ut hæ illos culparent, & mariti rursus integritatis suæ conscii in uxores culpam & causam conjicerent.

11. Animum præterea pietate erga Deum & fide erga puerperas conspicuum gerant, conscientiæque in omnibus studeant. Nec minus quodam quasi judicio præditæ sint, ut puerperas sapienter utroque eventu regant, nec ipsæ vel parturientis impatientiâ, mulierumque trepidantium confusione ac clamoribus obruantur. Timidiores enim Obstetrices in casibus gravioribus nil quicquam proficiunt. Audaciam tamen prudentia quædam moderetur, nec ea adhibeant, quæ summè nocere possint, unde non sine ratione Obstetricum actiones sedulo semper observandæ. Verbo, nomen mereatur *Sagefemme*, quâ voce Galli Obstetricem appellant; Moribus, præterea sint placidis, modestis, gravibus tamen si puerperas immorigeras inveniant, hilares, sed ita ut à scurrilibus abstineant, nec scandalo suas afficiant, spem prolis masculæ, aut ejus quod desideratur semper faciant. Ante omnia verò sint sobriæ, sedulæ, beneficæ, hospitales, misericordes, atque mites.

Ridlinus *lin Ann. 4. p. 869*

12. Nec autem nimis sibi arrogent, sed honestis & expertis matronis in rebus puerperium concernentibus obediant. Si quidem in confusione ejusmodi ac turbis muliebribus facile accidere quicquam potest, quod ab adstantibus observatur, ab ipsâ vero Obstetrice aliis intentâ non animadvertitur. Quapropter etiam hæ, quando examinantur, monentur, ut matro-

tronas honeſtas ſemper reſpiciant, ad eaſque hanc ob cauſam judicio Facultatis Medicæ *Lipſienſis* expreſsè remittuntur. In caſibus autem extraordinariis Medicum Chirurgumque ſimul advocandum extra dubium eſt, illiuſque judicio differentes duarum Obſtetricum ſententias decidendas recte ſtatuit Facultas Medica *Lipſienſis*. Quod ſi tamen puerpera indigeat ſubitaneo ac repentino auxilio, & mors ipſa certò interventura ſit, antequam Medicus vocari poſſit, quis tam à ratione alienus exiſtat, ut non concederet mulieri, jam multâ experientiâ conſpicuæ, ſaltem aliquid ſuſcipiendum, ut mors retardetur, imprimis ſi remediis utatur maxime expertis, uſualibus, ac tutis.

Ammannus *med. crit. p.* 510.

Zitmannus *cent.6. caſ.75*

Zitmannus *med for. cent 4. caſ.37.*

Zacchias *Quæſt. Tom.3. conſil.* 24.

13. Cum verò nullum hominum genus tantùm ſuperſtitionibus indulgeat ac Obſtetrices, adeo ut fœminas alias ſatis prudentes interdum anilibus ſuis fabulis ſeducant, omni ope cavendum, ut nugæ ejusmodi illis evellantur. Laudatiſſima eſt hac in re conſtitutio Reipublicæ *Eslingenſis*, in qua Obſtetrices, cum juratis, ut vocant, matronis, quotannis convocantur, in earumque geſta ab Aſſeſſoribus accuratè inquiritur, ignaræ informantur, facinoroſæ pro re natâ objurgantur. Eum in finem præter Senatus Deputatos, Medicos, Chirurgos, ac Obſtetricum primariam, imprimis Eccleſiæ Inſpector adſciſcitur, qui in hujusmodi profana ac ſuperſtitioſa, ac vitam quoque & mores ſedulo inquirit. Reſpicit autem ſuperſtitio ejusmodi partim puerperium ipſum, quales ritus recenſet *Rommelius*, partim fœtum ejuſque partes, quo pertinent, quæ de umbiculo vulgò nugantur, ut & pileo infantis, ceu vocant, naturali, quo Advocati diſerti magis reddi vetulis iſtis creduntur. Frictio gingivarum infantis cum ſecundinâ, ac ſi tum nunquam

Ridlinus *lin ann.* 4. *p.* 1000

Faber *miſc. Germ. Dec. An.* 9. *p.* 465.

Miſc. Germ. Dec.2. Ann. 8 *obſ.* 175.

Ridlinus *lin Ann.* 4. *p.* 881.

quam per totam vitam dentium dolore laboraret infans. In *Suevia* fasciculum pane ac sale repletum infantibus ad baptisterium deportandis inter fasces deligant. Et quis omnes ejusmodi nugas ritusque interdum magicos enumeret.

Zacchias l. 6. t. 5. q. 6. 14. Accidit quoque non rarò, ut fœtus nascantur monstrosi parentibus ipsis invisi, quibus si Obstetrices etiam ad petitionem horum umbilicum non ligent, eoque modo vitâ privent, easdem tunc homicidium committere dubium non est. Nec obstat, quod monstrum possit impune occidi, hoc enim non indifferenter de quolibet monstro intelligendum, sed eo tantùm, quod brutum refert, ac, non tamen absque præscitu Magistratus, meritò supprimendum, ut in *Selectis meis Physiologicis* judicio Illustris *Schrôckii*, Sect. XXVIII. §. 5. Societatis Nostræ Præsidis Dignissimi pariter ac Meritissimi, probavi.

EPI-

EPIMETRUM
DE
MAGORUM EXISTENTIA & DIGNOTIONE.

Ad Sect. II. §. II. & Sect. V. §. 21.

I.

EXistere homines, qui relicto cultu Creatori suo debito, Spiritibus malignis se associent, eorumq; ope quæcunque naturæ vires superantia in effectum tradant, quamvis hodie à plurimis etiam viris doctis in dubium vocetur, nemo tamen, accuratiori certè scrutinio instituto, negaverit; Dignotio verò Magorum sagarumque ejusmodi, cui existentiæ probatio unicè innititur, res maxime ardua est, ac gravissimi imprimis in judiciis momenti, in quibus innocentissimi interdũ præ tormentorũ doloribus fatentur ea, de quib⁹ vel ne per febrim quidem somniârũt, ceu aliàs in tormentis facile mentiuntur, qui multa pati possunt, & mentiuntur, qui nil pati possunt, illi dum nolunt fateri, quæ fecerunt, hi verò, dum plura se perpetrasse fatentur, atque etiam post torturam, præ hujus denuo subeundæ metu vitæque jam diffamatæ tædio, confirmant, mortique traduntur.

2. Neque enim, quos rumor aliquis publicus, etiam cum clamosâ Theologorum interdum insinuatione conjunctus, imo à providis atque honestis viris ad aures judicis delatus, aut quoque actio criminalis ejusmodi à malevolis intentata Magos arguit, statim revera tales sunt, cum frequentissimè pro iisdem habeantur *primò*, qui ultra sortem suam exactiori quadam naturæ cognitione pollentes, cœlorumqe ac siderum motus ac influxus, & sympathias atque antipa-

thias rerum ſingularum obſervantes, debito tempore loco & modo res rebus applicare norunt, hacque ratione ea in effectum tradunt, quæ cauſarum ignaris præſtigioſa videntur, uti hoc modo ruſticus quidam in Hercyniis ab omnibus pro Mago habitus eſt.

Agricola *Com in Popp. Tom. 2. p. 757.*

3. *Secundò*, Quorundam naturalis conſtitutio anſam ſuppeditet, ut in cenſum hunc referantur, ceu quidam in oculis ſuis adeo efficax faſcinum gerunt, ut quocunque ſe vertant, etiam inviti noceant, eaque propter infantes ac gravidas moneant, ne ad ſe propius accedant. Quæ effluvia, acriora quoque & magis efficacia exiſtere videntur ubi vehementior magnumq; in maſſam ſanguineam ac ſpiritus impetum concitans affectus, ira, odium, homines ejusmodi nimium agitaverit. Pertinet etiam huc Nobilis cujusdam Hyberni medicatus manus tactus, à pluribus pro Magico habitus, qui tamen ſine dubio ab effluviis valde activis illius viri, frictione quadam alteri communicatis, dependit.

Borellus *Cent. 3. obſ. 1. & 67.*

Everlynus *Act. Lipſ. anno 98. p. 338.*

Schröckius *Schol. in miſc. Dec. 2. Ann. 5. obſ. 20.*

Peehlinus *obſ. p. 476.*

Wolfius *obſ. Chir. p. 80*

4. *Tertio*, Vetulæ hyſtericis imprimis, melancholicisque phantaſiis indulgentes; Quid enim homines ejusmodi ſibi interdum non fingunt, etiam de die, ut Dæmones ſibi à latere adſtare arbitrentur, eorumque horribiles figuras adſtantibus deſcribant, ac mirentur hos quoque non videre. Talis melancholicus meo tempore *Lugduni Batavorum* in Noſocomio morabatur, ſemper de nigris virunculis in ſuperiori hypocauſti tabulato obambulantibus ſerio & exquiſitè conquerens, ac indignatione partim, partim quoque riſu nos ipſumque *Schachtium* Profeſſorem excipiens, ſi quando contrarias ideas formare eidem conaremur. Ita quoq; Vetulæ quædam ex corruptâ phantaſiâ arbitrantur, ſe quippiam præſtitiſſe, cum tamen nihil effecerint,

Dimerbrokius *Diſput. pract. Hiſt. 3.*

Voſsius *l. 1. Idolat. c. 6.*

Mercklinus & Bauzmannus *Miſc. German. Dec. 3. Ann. 5. obſ. 295. & Ann. 1. App.*

&

& pactum cum Dæmone nullum iisdem intercedat. Confirmatur idipsum non solùm responso Illustris Facultatis Medicæ *Giessenæ*, sed & exemplis vetularũ quarundam, quæ quæstionibus subjectæ confessæ fuerant, se cum Dæmone rem habuisse, nonque solùm ingravidatas, sed & nono mense murem, massamque nigram frusto carnis fumo induratæ similem peperisse, cum tamen phantasiam illarum corrupisset convulsivus uteri motus, cum liquoris cujusdam excretione, qualis in Hystericis non infrequens; Scybala vero seu excrementa alvi propter contumaciorem obstructionem successivè in cellulis coli indurata, cumque lumborum dolore, summoque gerendi conatu excreta, pro mure habuerint. Aliæ itineri ad *Bructerum* montem se accingentes, se inungunt, sedentesque in furca, ac jam devehi volentes obdormiunt, spectantibusque aliis, gestibus quibusdam hinc inde se movent, ut interdum de scamno cadentes, caput vulnerent, domique interim in hypocausto manent, nec ad *Bructerum* perveniunt, uti quidem se in eodem fuisse imaginantur, ac in judiciis affirmant. Quædam etiam earum illâ ipsâ nocte ac horâ, qua conventui Dœmoniaco se interfuisse affirmârant, à maritis suis in lecto non solum diligenter observatæ, sed & ab iisdem non semel studiosè attrectatæ sunt.

Valentini *Pandect. Tom I. p. 165.*

Bohnius *de offic. p. 681.*

Zitmannus *med. for. cent 2. cas. 22.*

Westphalus *Misc. Germ. Dec. 3. Ann. 9 App. p. 201.*

Hildanus *Clas. 6. obs. 26*

Libavius *singular. part. 1 p. 320.*

Bierlingius *Thes. pract. p. 367.*

Frommannus *de fascin. p. 568.*

Bohnius *Misc. Germ. Dec. 3. Ann. 9. p. 199.*

5. Nec *quarto* pro magis reputandi, quos alii secum epulis in monte *Bructerorum* vel alibi interfuisse judicialiter deferunt. Neque enim semper conventus ejusmodi corruptæ phantasiæ illusio est, ut modò de quibusdam innui, sed sagæ interdum verè & corporaliter nocturnis ejusmodi conventibus interfunt, cum non rarò nudæ ex turbine vel nube decidentes sũmisque arborum ramis inhærentes, ac velut implicatæ

Granzius *Act. Lips. anno, 703. p. 11.*

Gochausen *proces. quæst. p. 55.*

Delrio *l. 5. ss. 3.*

Libavius *singul. part. 1. p. 323.*

tæ, vel humi attonitæ jacentes & vulneratæ membrisque mutilatæ deprehensæ sint. Quidam etiam nullo pacto dæmoni obstricti, sed per errorem magicis ejusmodi unguentis se illinentes, eo delati pedibus dein ad patriam sedem domumve suam remeare coacti fuerint. Quodque amplius est, conventu sagarum subitò dissoluto, mensæ & suppellex argentea remanserint, à Dominis suis postea agnitæ, quorum uxores eas secum detulerant. Quamvis itaque quispiam à sagis conventui huic interfuisse in confessionibus judicialibus arguatur, eo ipso tamen, etiam sententiâ Facultatis Theologicæ *Rinthelensis* non statim sequitur, illud ita se habuisse, quique delatus est, Magum quoque existere, cum delatio ejusmodi ex denunciantis, interdum pueri, phantasiâ erroneâ proficiscatur, ut in *Suecicâ* quadam inquisitione accidit; Ac dein dæmon insontis etiam hominis speciem in conventibus ejusmodi repræsentare valeat.

Camerarius *præfation. ad Plutarch. de orac. defect.*

Lassenius *Athei sm. triumph. p. 743.*

Valentini *Pand. Tom. I p. 819.*

Thomasius *Diss. de Crimin. Magiæ p. 33.*

6. Hoc ipsum enim eundem præstare, probatur *primò* ex demortuorum hominum, ac imprimis, quod exemplum est omni exceptione majus, *Samuelis* specie à vetula, ope ejusdem, productâ. Neque enim *Saulo* Regi ab hac ipsa impositum, sed dictam speciem reipsa se eidem obtulisse ex eo palam fit, quod *Saulus* quamvis animo primum obfirmatus, tamen in terram totus exanimis prociderit. Nam à re naturali, qualis est ignis fatuus, aliisque phœnomenis non facile vir fortis terretur, at si verum fuerit spectrum non solùm præternaturalis horror, sed & summa cordis angustia oboritur, ac Epilepsia aliique generis nervosi affectus insequuntur, eoque modo spectra à phœnomenis naturalibus discernuntur. Nec tantùm homines sed & ipsa animalia qnoque commoventur, &

1. *Samuel. XXVIII.* 14.

Goldsmidius *Morph. c. 8. p. 285.*

quasi

quasi mutantur, canes angulos quærunt, & equi ex mansuetis feroces & calcitrosi evadunt; Hoc ipse expertus sum, cum ante annos viginti tres Medicum castrensem *Brunsuigo-Luneburgium* in *Hungaria* agerem, & in transitu per *Bohæmiam* in vico quodam Comitum *Sporkiorum* pernoctaremur. Sub adventum enim in istũ locum ab Hospitiorum designatore nostrate domus mihi assignabatur, in quâ, ut jocabatur, haberem quod specularer, acciditque derepente mediâ nocte, ut tres equi mei, ac si scuticis adigerentur, capistra sua cum furore quodam abrumpentes spumantesque ac sudore madidi ex equili in aream prorumperent, nullisque blanditiis à servis meis iterum ad quietem redigi possent, donec demum adventante aurorâ mansuetiores evadere viderentur, cumque altero die nostratibus hoc referrem à prædicto Officiali responsum cum risu tuli, sibi pridie ab incolis loci de ædibus istis quædam relata, eaquepropter mihi easdem consulto destinasse, ut rerum ejusmodi experimenta facerem. Nec demortuorum solum, sed & viventium adhuc hominum species Dæmon quandoque sistit, ut eò minus dubitari queat, eundem tale quippiam quoque in sagarum conventibus fingere, ut innocentes quosdam sibique infestos calumniis involvat, judicibusque imponat. Sistit autem Dæmon sine dubio corpus aliquod aereum, cum præter substantiam ejusmodi nil æque facile ad condensandum spissandumque, ac dilatandum aptum sit, & aliàs spectra ex hac ratione tam brevi momento ac spatio crescere & decrescere videantur.

Delrio *l.* 2. *p.* 292.

Wierus *l.*5 *præstig. Dæmon. c.* 34.

Frommannus *l.*3. *de fascin. p.* 787.

7. Tria autem indicia sunt, ad quæ in determinandis Magis maximè respiciendum arbitror, quorum *primum* præbent effectus virtutem supernatura-

lem arguentes, quæ materia cum latiſſime per omnia ſublunaria vagetur, à me pro hac vice ad ſpecialem morborum incantatorum claſſem tantùm reſtringetur, modis mox recenſendis productorum.

8. *Alterum* indicium ſtigmata præbent, quæ Dæmon ſuis quibus diffidit imprimit, idque unguibus interdum, ſuntque notæ figuram lentis vel piſi, gliris, catelli, araneæ, bufonis pedis, veſtigiique leporini referentes, & quidem primo cum depreſſione carnis, quamvis interdum cicatrix tantum appareat, aliquando verò inſtar verrucæ exiſtant, dein cum perpetuâ inſenſilitate, quæque ſi acicula etiam altiſſime infixa perforetur, ſanguinem non fundat, nec in veneficâ vocem eliciat, cum tamen ſi locus maculæ proximus leviter vulneretur, largus non ſolùm cruor fundatur, ſed & ingentem ex dolore clamorem edant. Locus ſtigmatum varius, imprimis verò ſub palpebris, labiis, axillis, in humeris, femoribus, ſede imâ, lociſque in fœminis, ac mammis. Etiam ipſi oculorum bulbo, ita ut pupillæ ſpeciem exprimat.

Borellus *cent. I. obſ. 92.*

Delrio *p. 199*
Gochauſen *p. 111.*

Frommannus *p. 88.*

9. Non verò obſtat, quod ſtigmata ejusmodi in quibusdam vitio ſanguinis exiſtere poſſint, ceu veneficæ plerumque temperamenti melancholici ſunt, qualis ſanguis impetigini ejusmodi producendæ aptiſſimus eſt, uti pluribus demonſtrat *Zacchias*, cum quo faciunt, *Cocceius* JCtus, *Mollenbrokius* & *Gaſſendus* ex mente *Peyreſcii*. Deinde, quod in ipſo pungendi modo error facile committatur, ut acus ad partem ſanam aliquantum declinet, vel minus profunde pungat, vel à Dæmone ipſo ad eum fere modum, quo hiſtriones ludificationibus ſuis conſueverunt, aliò divertatur, nec ſtigma attingat; Quodque ſagæ ipſæ, ſi punctio tam occulte & caute non inſtituatur, quo minus illæ animad-

Quæſt. l. 7. tit. 4. ſupplem.

Bierlingius *Adv. cur. Cent. obſ. 72. Vit. p. 191.*

vertant, etiam dolorem fingant, quem tamen non sentiunt. Hæc enim omnia in thesi prudens ac circumspectus Medicus, absque cujus responso Judex hoc in negotio nihil concludit, facilè distinguet.

10. *Tertium indicium* ab innatatione super aquam desumitur, cui lamiæ imponuntur, atque justo Dei judicio à dæmone eum in modum sustinentur, quo obsessi in altum interdum rapti in aëre diu hærent, neque pondere suo deorsum labuntur; Ac alii interdum vi pacti impliciti per aliquot milliaria ad loca dissita deportantur. Recentissimum hujus ac singulare exemplum Actis Societatis Nostræ inseruit, *Crugerus* Medicus Stargardensis Vir gravis ac eruditus, de quodam Chirurgiæ addicto, qui cum ancillâ domesticâ clandestinas nuptias foverat, simulque matrimonium promiserat, verùm derelictâ suâ ex improviso Dantiscum abierat. Ancilla ægre hoc ferens ad matrem & consanguineos in civitate Freyenwaldensi Pommeranicâ, tribus milliaribus Stargardiâ dissitâ, habitantes confugit, ubi mater de re gestâ cum vetulâ quadam consilium iniit, ejusque auxilium implorat, quod illico ea promittit, atque crastino vesperi sponsum præsto futurum pollicetur. Sponsus interea Dantisci degens, nihil horum conscius lectumque vespertino tempore ingressurus anxietatem quandam persentiscit, idcirco fores aperit domo egressurus, & ecce porcus ingens inter tibias hujus proci se insinuat, eumque per astra ad aspera vehit, inque dumetis Freyenwaldensibus deponit, hocque iter 40 milliarium spatio 24 horarum absolvit. Miser hic sponsus civitatem Freyenwaldensem indusio tantùm indutus ingreditur, vestesque postulat, sponsam derelictam reposcit, nuptiasque cum illâ celebrat, ac ambo in urbe Wollino adhuc ante trede-

Mayernius *prax. Tom.* 1. c. 7.

Misc. Germ. Dec. 3. *Ann.* 2. *obs.* 112.

cim annos habitârunt. Plura deportationis ejusmodi realis exempla fide digna collegerunt *Delrio* ac *W ierus*, ut adeo de poſſibilitate innatationis Dæmoniacæ dubium nullum reſtare amplius queat.

l. 2. p. 175. l. 4. c. 19.

11. Conſtitutio quidem corporis unius atque alteris individui efficere poteſt, ut quispiam naturaliter & abſque ſuſpicione magiæ aquis ſupernatet, ex eaque ratione quidam ne in ipſis quidem thermis ſubmerguntur, ſed continuo ſupernatant. Qui enim ventricoſi ſunt, ac inteſtina flatibus copioſe repleta habent, non facile ſubmerguntur. Pulmones etiam, quo fuerint laxiores ac grandiores, ac copioſum recipiunt aërem, eo magis corpus aquæ innatans librant, quæ quoque ratio eſt, cur cadavera ſubmerſa poſt paucos dies emergant, propter plurimos flatus pulmones diſtendentes, quodque cadavera, quibus pulmones exſecti ſunt, nunquam emergant. Deinde cum, qui aquis imponuntur, decuſſatim junctis ſtrictisque ſimul pedibus cum manibus ligentur, cavitates corporis ampliores redduntur, hocque fere utriculum ſcaphamq; exprimit ac innatationem facilitat. Ex iisque forte rationibus *Delrio*, *Heurnius*, *Frommannus*, *Goehauſen* aliique innatationi ejusmodi parùm tribuerunt. Verùm cum ponderatis omnibus circumſtantiis innatatio Dæmoniaca à naturali in theſi demum diſcerni queat, ex eadem quoque Magos rectè dignoſci arbitror.

Hoferus *Herc. Med. p. 481.*

l. 4. c. 4. qu. 2. Reſponſ. ſpeciali.

De faſcin. p. 930 proceſſ. Queſt 1. p. 12.

Valentini *Pandect. Tom 1. p. 823.*

12. Circa morbos tamen ab iisdem inductos ſeu incantatos, quos primum indicium ad Magos dignoſcendos præbere dixi, non minori cautione opus eſt, ne qui à cauſis naturalibus abditis magis ac non quotidie obviis dependent, inque hypochondriacis occurrunt, cum iisdem ad claſſim illarum ſtatim referantur, quod exemplis paſſim in Actis Societatis Noſtræ occurren-

tibus

tibus confirmare possem, ni applicatio in thesi præstaret, cujus ea propter specimen adjungo, quod nulli morbi frequentius veneficii suspicionem moveant, quam qui in adultis à vermibus foventur, ac spasmodicas affectiones conjunctas habent, longiusque durant. Anni autem septem sunt, quod in viciniâ mulier longo morbo decumberet, miris symptomatibus stipato, aque plurimis, ne dicam omni vulgo incantationi adscripto, ac sub vitæ finem monstrum quasi quoddam excerneret, cujus descriptionem pleniorem cum icone *Paullinus* Noster exhibet. Inter alios tum & ego requisitus morbum ac monstrum ad causas mere naturales retuli in responso quod eo idiomate ac ordine, quo à me ea occasione exaratum est, hic appono.

De mort. vermin. p. 94.

12. Bey Betrachtung des monstreusen Wurms fällt zu forderst die Frage / auff was Weise lebendige Thiere / in eines lebenden Menschen Leibe entstehen können? solches geschihet auff dreyerley Ahrt.

Erstlich durch einen Wachsthum solcher Thiere in den innerlichen Theilen des Leibes / auch gar im Geblüt und andern Säfften des Menschen / da nemlich solcher Thiere Semina oder Ovula (wie sie in den microscopiis sich præsentiren) unvermercksahmer Weise mit Speise und Tranck oder auch sonst in den Magen und ferner in den Leib und Adern gelanget / ihrer Ahrt nach außgebrütet werden. Auff diese Weise sind Leuten / welche auß einer Pfütze und stehenden Wasser begierig getruncken / Fische / Frösche / Kröten und dergleichen im Leibe gewachsen / die sie theils mit einem Erbrechen / theils durch Stuhlgang von sich gebracht / theils viele Jahre sich damit biß an ihr Ende schmertzlich geschleppet / wie solches die glaubwürdigen Exempel in Miscell. Cur. German. Dec. 1.

Ann. 1. obſ. 103. und Ann. 2. obſ. 56. Actis Haffnienſ. vol. 2. obſ. 39. Borelli cent. 1. obſ. 19. Helwigii obſ. 92. Kircheri mund. ſubter l. 9. ſ. 2. c. 2. mit mehrern Zeugen.

14 Zum andern / da ſolche Thiere würcklich einem ſchlaffenden Menſchen / entweder durch den Mund kriechen / oder ſonſten innerlich beykommen / wie bey dem Gregor. Horſtio Epiſt. Med. Tom. 1 Sect. 6. miſcellan. cur. Dec. 3. Ann. 1. Obſ. 135. Novis literariis Balthic. Anni 700. pag. 100. ſich Exempel finden / daß Schlangen ſchlaffenden Leuten durch den Mund in den Magen und Leib hineingewiſchet. Joh. Dan. Horſtius Dec. Ep. med. pag. 39. bezeuget / wie ein vornehmer Herr eine Spitz-Mauß eingeſchlucket und wieder von ſich bracht. In miſcell. cur. Dec. 1. Ann. 9. obſ. 142. findet ſich daß einem ſchlaffenden Bauren eine lebendige Mauß in den Halß gekrochen und neun gantzer Monat in deſſen Gedärmen nicht ohne dieſes Menſchen höchſten Schmertzen herum terminiret / endlich aber durch den Stuhl-Gang lebendig abgangen. Ein faſt nicht ungleich Exempel ſtellet ſich auch in miſcell. Dec. 2. Ann. 8. obſ. 157. Wie dann auch ein Maulwurff auff gleiche Weiſe in den Menſchen geſchlichen / und 15. Jahr in demſelben ſich auffgehalten. Miſcell. Dec. 1. Ann. 8. obſ. 90.

Zum dritten / wenn dergleichen Thiere von Hexen nud Unholden darin gezaubert werden / wie ſolches die tägliche Erfahrung bezeuget und man nicht vonnöhten hat weitläufftig mit Exempel zubekräfftigen.

15. Was nun dieſes Monſtrum betrifft / ſo findet nur die erſte Ahrt / nemlich der Wachsthum bey demſelben Statt / und iſt es in der Frauen Gedärmen außgebrütet / nicht aber durch den Mund oder ſonſten zu ihr eingekrochen / oder ihr in den Leib gezaubert / dann ſich hiervon nicht die geringſte Anmerkunge findet / und das

letzte

letzte insonderheit niemahls zu præsumiren/ so lange man natürliche Umstände und Ursachen bey einer Kranckheit siehet / hingegen berichtet die Frau selber daß sie nach genommener frischen Milch / sogleich ein solches Bauch-Grimmen und darauff Brechen empfunden / biß endlich Spuhl-Würmer von ihr kommen / und was mehr in der Relation sich findet.

16. Gleich wie aber der Wachsthum solcher Würmer einer generationi æquivocæ oder putrefaction und Fäulung nicht zuzuschreiben/ daß man öfters auch an Sachen/ die nicht das geringste Zeichen einer Faulnüsse von sich geben / gleichfalls Würme verspüret/ auch/ wie von Herr Professore Ecchardo in den monatlichen Extracten Anno 700. p. 857. auß dem Andrio wohl angeführet wird/ eine so ungefähre Unordnung unmüglich die organischen Theile eines Thieres in einer so trefflichen Ordnung hervorbringen kan / und man drittens nicht eine eintzige neuere und vorhin nicht gewesene Ahrt von Thieren werden siehet / welches beydes doch bey so gestalten Sachen sich begeben müste ; Sondern sie enstehen vielmehr per generationem univocam nemlich auß dem Saamen oder ovulis einer jeden Ahrt wie in Act. Lipsienf. Suppl. Tom. I. p. 314. mit mehren bewiesen wird/ auch an sich nach den jetzigen principiis Physicis genug bekant ist ; Also ist keine Speise welche zu dergleichen Unwesen mehr Anlaß giebt / als eine gegessene frische rohe und ungekochte Kuh-Milch / wie solches auch mit gleichen Exempel von Blankhardo Collect. Cent. 5. obs. 36. bekräfftiget wird.

Dann vors erste solches Vieh zuweilen allerhand von Ungeziefer beschmissene Kräuter und Futter frist / auch das von den Dächern herunter geflossene und in den Pfützen eine zeitlang gestandene unreine Wasser einsauf-

fet

fet / und vermittelst solches Futters und Wassers die Seminia oder Ovula allerhand insectorum, Ungezieffer und Würme. Weil aber nach bekanter Meinunge die Milch auß dem chylösesten Theil des Geblüus entstehet / also schlägt auch solche Unreinigkeit in dem Futter alle mit zur Milch. Hernach / obzwar die Milch an sich gut von dem Vieh komt / wird sie doch öffters wann sie nicht wohl verwahret ist / von den Fliegen / Wespen und Käfferen beschmissen oder Spinnen inficiret, wie solches weitläuffiger in Miscell. Dec. 2. Ann. 7. obs 255. & Ann. 10. obs. 171. auch Waldschmidii Instit. Med. Rat. l. 2. c 12. außgeführet wird.

17. Ferner contribuiret zu dergleichen Außbrütung nicht wenig der Franen unreiner Leib und Geblüht / als die einige Jahr vorher eine schlimme Scharbockiche Glieder Kranckheit außgestanden / die aber ein unreines Geblüth haben / verdauen die Speise nicht so wohl / werden auch eher und mehr von derer schädlichen Ahrt afficiret / als andere / die eine gesunde Complexion und guten Magen haben / welches denn die Uhrsach ist / warum nach einerley Speise der eine Mensche sich wohl / der andere übel befindet.

18. Weiter fraget sich / wie ein solches Monstrum, welches der Haut nach einem Aal / dem Kopffe und Halse nach einem Pferde / dem Leibe nach einen Molch / den Füssen aber nach theils einer Gantz theils auch anderen kleinen Gevögel gleichet / und also auß fünfferley speciebus bestehet / in Menschlichen Gedärmen entstehe / ist schwer zu erachten.

Daß allerhand Ahrten von Ungezieffer und Thieren ein jedes nach seiner Ahrt / auß seinen Seminio seu Ovulis in Menschlichen Leibe und insonderheit den Gedärmen außgebrütet werden / ist von fleissigen Medicis mit bewehr-

ten

ten Exempeln vielfältig bewiesen. Nur die denckwürdigsten anzuführen seynd solche theils Raupen gewesen Miscell. Dec. 1. Ann. 6. obs. 234. Dec. 2. Ann. 5. App. pag. 77. Dec. 3. Ann. 2. obs. 201. Ann. 5. obs. 294. Helwigii obs. 80. Blankhard coll. cent. 5. obs. 36.

Theils Käffer Miscell. Dec. 2. Ann. 1. obs. 124. Ann. 5. App. p. 38. Dec. 3. Ann. 5. obs. 294.

Theils Mölche Borell. cent. 1. obs. 23. Gregor. Horst part. 1. Epist. sect. 6.

Theils Schlangen und Ottern Borell. cent. 3. obs. 31. Kircher. mund. subter. l. 9. s. 2. c. 2. Sebizius Disp. de serpent. Adolescent. Argentor. Bollmann de Acid. Pierm. p. 65. Miscell. Dec 1. Ann. 9. obs. 64. Dec. 2. Ann. 1. obs. 39.

Theils Schnecken Blanchard cent. 4. obs. 91. Misc. Dec. 2. Ann. 7. App. p. 125. & 142. Dec. 3. Ann. 5. obs. 294.

Theils Eiselchen / sonst in denen Apothecken millepedes genandt Misc. Dec. 2. Ann. 1. obs. 98. Dec. 3. An. 5. obs. 294.

Theils Würmer von unbekanter und vielerley Ahrt auff einmahl / Misc. Dec. 2. Ann. 4. obs. 39. Ann. 10. obs. 166. Blankhard. Coll. cent. 4. obs. 92. Acta Lipsi. supplem. Tom. 1. p. 310.

Ja gar ein junger Haane Miscell. Dec. 2. Ann. 5. App. p. 34. und was noch mehr ist Hunde nnd Katzen Misc. Dec. 1. Ann. 1. obs. 109. Ann. 8. obs. 58. Dec. 2. Ann. 4. App. p. 187.

19 Auff was Weise aber fünfferley Species ein solches Monstrum im menschlichen Leibe constituiret / muß ferner ex natura Monstrorum eorumque generatione gesuchet werden. Nun halten zwar die meiste Autores dafür daß solche Monstra allemahl und eintzig von einer

starcken Einbildunge der schwangern Mutter herrüren / welcher Meinung aber mit vielen Gründen von dem Zachia Quæst. Med. Legal. l. 7. pag. 576. auch Herrn Schröckio in Schol. ad observat. Helwig. sub init. widersprochen wird / ja auch in diesen casu gahr keinen Platz findet.

Zumahlen dieser Wurm fürs erste nicht in partibus uterinis gelegen / als in welchen Theilen die Phantasie der Frauens am meisten operiret / sondern wie in der überschickten Relation deutlich gesetzet / ist von hinten und also auß denen Gedärmen mit dem Stuhlgang abgangen. Auch hat die Fraue nicht gewust / was ihr im Leibe geschmertzet; nach vielweiniger dergleichen fünfferley Ahrt Thiere ihr in Gedancken vorgestellet / folget derowegen / daß dieses Fünff-Ahrtige Monstrum von sich selbst auß allerhand zusahmen geschossenen Seminiis seinen Uhrsprung habe / welche gantz unvermercksahmer Weise in der Milch sich angefunden mit derselben in den Magen und Gedärme der Frauen gelanget / und vermittelst des Leibes innerlichen Wärme so außgebrütet werdē.

20. Dann das ad monstrositatem constituendam eine gewisse materia gehöre / wird darauß bewiesen; Erstlich daß auch zuweilen in einer Frucht einige Theile des innerlichen Leibes / woran keine schwangere Frau gedencket / monströs werden durch Uberfluß oder eigenbahre Beschaffenheit der Natur. Zum andern / daß auch unter denen vegetabilibus sich monstra anfinden / wie diese beyde Sätze mit vielen bewehrten Exempeln behauptet werden könten / wenn es hier mit her gehörte / unterdeß kan von den monstris plantarum Aldrovandus in histor. monstror. c. 12. weitläufftiger gelesen werden.

21. Daß auch Seminia vielerley Ahrt auff einmahl in einen

einen Menschen gelangen können/ erhellet auß den Exempeln welche kurtz zuvor von den Würmen unbekandter und vielerley Ahrt angeführet. Herr Paullini in Miscell. Dec. 3. Ann. 5. schreibet expreſs, quod milleformia in ſectorum ſeminia in der Speiſe und Getränckе ſich finden.

22. In dieſem monſtro aber iſt inſonderheit merckwürdig/ daß es alle Ahrten der Thiere repræſentiret/ dergleichen Exempel man in dem weitläufftigen opere de monſtris des belobten Aldrovandi und villeicht auch ſonſt nicht wohl findet. Und zwar die vierfüſſigen in dem Kopff und Halſe ſo dem Pferde gleichet/ die Geflügele in dem Kamm/ welchen es anff dem Kopffe führet/ und den Füſſen mit welchen theils eine Gauß/ theils andern kleinen Gevögeln es gleichet/ denen wäßrigen Thieren in dem Aal/ denen reptilibus und kriechenden in dem Molch/ dafer man ſonſt nicht auß allzu groſſer Curioſität ſolcher Theile Vergleichung mit dieſen Thieren machet.

23. Letzlich fällt noch die Frage/ wie dieſes Monſtrum auß einem weichen Fleiſche beſtehe und man nicht den geringſten Knochen fühle. Hier aber muß man erſt wohl unterſcheiden/ ob gar keine Knochen da? oder dieſelbe ſo weich/ daß man ſie durch ein äuſſerlich Anfühlen nicht wohl mercken kan/ wie dann Zacutus Luſitanus lib. 3. prax. admir. obſ. 131. eines Knabens gedencket/ deſſen Knochen in den Füſſen ſo weich wie Wachs geweſen. Ingleichen ſchreibet Dimerbrokius l. 9. Anatom. pag. 553. In recens natis multa oſſa non habere firmam ſuam duritiem, ſed eſſe adhuc mollia & flexibilia, quæ perinde putantur non eſſe oſſa, cum tamen revera ſint.

Solten ſich aber in der That keine Knochen finden/ iſt ſolches eine marque, daß das Monſtrum eigentlich ad ſpecies vermium und dergleichen Unthiere gehöre/ die ohne Knochen ſeyn.

24. Dieſes iſt nun/ welches auff Begehren von dieſem raren und ſcheußlichen Monſtro entwerffen wollen. Die gute Frau wäre glücklich geweſen/ wann ſie ſofort als ſie nach geſpeiſeter Milch das Bauch-Grimmen und Schmertzen empfunden/ eine abführende Medicin genommen hätte/ welche in ſpecie auff dergleichen cruditates verminoſas, die man allemahl nach Milch-Speiſen vermuhten muß/ eingerichtet geweſen/ und das Unthier ſo zu reden in ſeminio ſuo exſtirpiret wäre. Nach der hand aber/ da es völlig außgebrütet worden/ hat man ſolches ſo gantz genauer wohl eben nicht præſumiret/ wiewohl es ſonſt an ein und anderen Sinn reichen Inventionen und Mitteln ſolche im Leibe verborgene Gäſte ſo wohl zu erforſchen als zu delogiren/ in der Medicin nicht fehlet. Hildesheim den 3. December 1701.

25. Cæterum morbi verè incantati ſequentibus maxime circumſtantiis, artificioſe juxta ſe invicem poſitis, dignoſcuntur. *Primò*, ſi perſona malæ famæ ac Magiæ ſuſpecta ægrum etiam contra ejusdem voluntatem convenire, inſpicere ac contrectare ſtuduerit, malum minata fuerit, illudque dein poſt paucas ſæpe horas ſubſecutum ſit, ac poſt appropinquationem ſuſpectæ perſonæ ſymptomata ægri exacerbentur. anxietasque & dolores extemplo augeantur, ſuſpectâ vero demortua exiſtente malum imminuatur. *Secundò*, Si inuſitata ac admiranda ſymptomata occurrant, quæ ex naturalibus cauſis deduci nequeunt, qualia imprimis ſunt inſolentiores totius corporis, aut membrorum contorſiones, quæ muſculorum ſtructuræ planè contrariantur, venæ jugulares oppido intumeſcentes rupturamque quaſi minitantes, cum vultus in molem amplam ſublatione & oculorum extorbitas protuberantiâ, brachiorumque eodem m

Valentini *Pand. Tom. 1. p. 509.*
Wolfius *obſ. Chir. p. 210.*
Heer *obſ. 8. p. 118.*
Bauzmannus *Miſc. Ger. Dec. 3. Ann. 7 obſ. 25.*
Timæus *l. 7 obſ. 24.*
Bartholinus *cent. 3. Ep. 66.*
Weſtphalus *Miſc. Germ. Dec. 3 An. 9. App. p. 171. 202*
Hagedorn. *cent. 3. obſ. 100*

men

mento celerrimâ contorsione, abdominis in immensam molem sublatione, spinæque dorsi incurvatione, ut puero inter dorsum ægri & lectum perreptanti spatium existat. Etiam caput plane ad nates ac pudenda allisum corpusque in orbem circumvolutatum. Lingua ad quadrantem ulnæ foras exeritur, manuum pedumq; digiti ita convelluntur, ut extimus seu tertius articulus ita hæreat, ac si arctissimo glutine aut visco in unum coaluerint, nec acus aliqua interponi queat. Præterea imus venter in altam molem effertur, gutturique vicinior quam femoribus est, tanto cum strepitu & intestinorum borborygmo, ut ultra decem passus etiam audiatur, strepitumque ejusmodi referat, quem sub navium prorâ aqua ventis concitata fluctuansque excitat, vel grunnitui porcorum haut absimilis existat. *Tertio*, Si Walpurgis nocte, aut quæ S. Johannis Baptistæ diem præcedit, circa mediam noctem insolita quædam phœnomena appareant, quæ imaginationi attribui nequeunt, morbusque eo tempore maxime affligat. *Quartò* Si res, quæ in humano corpore plane generari nequeunt, uti scopæ minutim incisæ, carbones, ovi putamina, lintea convoluta, acus, clavi, unci ferrei, pedis animalium pars cui ungula adhuc adhæret, cultelli, frusta vitrorum aliaque ejus generis excernantur, cum certo vomitionis modo, ac felium horrendo ploratu concurrente; Vel talia quoque ex tumoribus admodum dolorificis abscessibusque extrahantur, aut post mortem reperiantur. Heterogenea enim ejusmodi in corpore revera exstitisse, mox dicetur.

Huberus *Misc. Germ. Dec. 3. An. 3. obs. 74.* Heer *obs. p. 120.*

Ledelius *Misc. Germ. Dec. 2. An. 7. obs. 134.* Bautzmã. *l. c.*

Lentilius *Misc. Dec. 3. Ann 3. obs. 78* Bierlingius *Thes. pract p. 466.*

26. Non autem uno modo à Magis morbi producuntur, eorumque sine dubio *primus* est, intuitus veneficarum acutior ac valde torvus, qui instar pacti im-

Frommannus *de fascin. p. 21. 461.*

Valentini *Pand. T* 1. *p.* 291.

pliciti est, quoque à venefica peracto, Dæmon ad nocendum concurrere, ejusque ideas malignas per fortissimam imaginationem ac nocendi desiderium excitatas in personam, quam impetit, cum effectu transferre tenetur.

Horstius *p.* 1. *obs. p.* 415 Frommannus *pag.* 468. 483. 921. 842. Grafsius *Misc. Dec.* 3. *Ann* 1. *obs* 125. Dimerbrokius *obs. medic.* 46. Heer. *obs. p.* 124. Rulandus *Thes. p.* 44.

27. *Secundus*, Attactus seu contrectatio earundem, quo mediante & summâ maximi fascinatoris agilitate concurrente, res plane heterogeneas ac absurdas vitra, pilorum glomos fasciculosque, aliaque modo recensita in corpus alterius immittunt, quæ dein per vomitum, alvum, urinam, aures, absceſſusque externos, imo ex carne hominis vivida, nec ullo absceſſu vel ulcere scatente, excernuntur. Hæc enim revera in corpore exstitisse, tot exempla passim à viris fide dignis collecta evincunt, ut de iisdem dubitare velle, cum insuper incantationis modus non repugnet, hominis esset ipsos sensus negantis. Objiciunt quidem vulgo hic, res ejusmodi, præsertim si vomitu excernantur, à melancholicis, sæpe quid agant ignaris, deglutitas esse, quod tamen nullius momenti est. *Primò* enim fieri nequit, quo minus œsophagus in deglutiendo à ferri, vitri, aliorumque transeuntium corporum rigidioribus cuspidibus vulneretur. *Deinde* etiam similia ex obortis in corpore ulceribus interdũ excernuntur, ac nonnunquam tam arctè ulceri inhærent, ut digitis extrahenda sint; Ioterdũ tamen, præsertim si excreta ejusmodi illæsis plane viis, quas transeunt, rejiciantur, aut statim evanescant, præstigiosa quoque existere, atque à Dæmone pro imperceptibili ejusdem velocitate ac subtilitate, aut inter vomendum ori injecta, aut extra admota, aut interjectu corporis aërei aliaque ratione, fascinatis adstantium oculis subjici, ut homo sese ex corpore excernere existimet, non minoris momenti exempla docent.

Baylius *Act. Lipſ. ann.* 703 *p.* 79.

Ridlinus *Lin. Ann* 6. *p.* 876. Frommannus *fascin. p* 842.

Timæus *l.* 7. *cas. p* 332.

Frommannus *p* 844.

28. *Tertius* est, Halitus inspiratio, eoque modo quibusdam corpus horrendâ leprâ obductum, inque mulieribus abortum procuratum, ac in aliis copiosum pediculorum proventum inductum constat. Delrio *l.* 3. *p.* 393. 399. Bierlingius *Thes. p.* 359. Clauderus *Misc. Germ. Dec.* 2. *Ann.* 9. *obs.* 6.

29. *Quartus* est, vestigiorum lectio, quæ in sabulo relicta, & Dæmonis nomine linteo excepta, in camino ad suffumigandum suspenduntur, unde dein color faciei pallidus ac morbosus existat, qui tamen cesset floridiorque evadat, si vestigia illa linteo suspensa camino iterum eximantur, & nescio quo loco abscondantur.

30. *Quintus* est, per fabricationem imaginis, similis eidem, quem devotum desiderant Magi, in quâ quæ pars sive acu, sive spina pruni sylvestris, vel mucrone è ligno quercino pungatur, aut clavo ferreo transfigatur, in similem quoque absentis partem morbus inferatur, ex qua dein prægresso maximo dolore ac insequente suppuratione, clavi, acus, spinæq; egrediantur. Fabricantur autem imagines ejusmodi communiter ex cerâ, interdum ex terrâ, & gemmis, ac sub limine, quod devovendus transire intendit, defodiuntur. Ejusmodi incantamento Eberhardus Trevirorum Archi-Episcopus anno 1066. periit, ut in epitaphio ejus legitur, ac Duffus Scotorum Rex. Hujus enim imaginem Sagarum altera ligneo veru affixam ante ignem torrebat, altera carminibus recitatis liquorem quendam sensim supra statuam fundebat, dumque simulacrum ad ignem torrebatur, Rex sudore diffluebat, carminibusque recitatis perpetuis tenebatur vigiliis, ac ad liquescentem ceram macie conficiebatur. Nec una solùm persona, sed integræ aliquando Familiæ ejusmodi incantamenti genere torquentur, ut ante decenium circiter, & quod excurrit

Delrio *l.* 3. *p.* 402. 406. Frommannus *p.* 718. Bælius *Act. Lips. ann.* 704 *p.* 440. Brovverus *Annal. Trevir. l. XI. p.* 540. Boethius *Histor. Scot. l. XI. p.* 221.

in Lentilius

Misc. Germ Dec. III. *Ann. 7. obs. 78.* in superiori Germaniâ adhuc accidit, pertinetque eo cum furi, ad dignotionem ejusdem, oculus excutitur.

Delrio *l.* 3. *p.* 406. 31. *Sextus* est, dum cibos naturales, aliaque veneni omnis expertia, poma, pyra, libamenti frustula ac similia ad comestionem propinant. Si enim venenata existunt, nullatenus ad incantamenta pertinent.

Delrio *l.* 3. *p.* 398. 405. Fromman-nus *p.* 685. 699 32. *Septimus* est, cum certos pulveres aliaque sub terram & limina defodiant, ita interdum lacertæ subter limen ostii domus repertæ, bufones oculis consutis ollâ inclusi sub lecto inventi. Cuidam aliquando super ostium stabuli petia reposita, in quâ grana quædam alba legumina ac semina, cum ossibus serpentum aliorumque animalium exstabant.

Schottelius *Antiqu. German. jur. p.* 341. 33. Plures modos non addo, cum recensiti frequentissimi, ac genuini existant, nec ad eosdem pertineant, quando aër à Magis fœdo odore inficitur, hominesque eo modo necantur, quod in historia Polonica occurrit; Aut quando unguentis quibusdam, etiam ex infantium occisorum corpusculis, digitis imprimis, cerebro, ac pudendis confectis utuntur, eaque si igni injiciantur, fulgorem, strepitum, nidoremque edant, qualem alia res nulla. Hæc enim & similia ad veneficium potius pertinere videntur, quod cum Magia neutiquam confundendum. Venena enim enim res naturales existunt, in parva quantitate magnas nocendi vires obtinentes, ad eaque nullâ Diaboli ope ac pacto opus est.

Fromman-nus *p.* 678. 681. 683. Delrio *l.* 3. *p.* 354.

Thomasius *Diss de Crim. Mag.* § 20. 34. Atque uti ex tribus his indiciis, juxta se invicem positis ac conspirantibus, Magorum dignotio firmissimè instituitur, ita eorundem existentia nemini amplius dubia esse potest, quamvis modi, quibus operantur, unicuique non statim patescant.

IN-

INDEX

Prior & major numerus Sectionem, Nonus verò Epimetrum, alter minor Paragraphum denotat.

ABortus magice procuratus IX. 28
Abscessus magici IX. 25.
Academiæ contra Helmontium defensæ II. 18.
Acus ex corpore excreta IX. 26.
Acuti morbi à natura diriguntur II, 23
Ægri, quoties in culpa I. 10.13.14.15. nunquam à Medicis relinquendi II. 17. secundum phantasiam tractandi I. 11. fiducia eorum quid valeat II. 22. V. 13.
Affectus animi ægris vitandi I. 15. 16.
Anatomia, necessaria Medicis II. 12. Chirurgis VII. 5. Obstetricibus VIII. 7.
Anima mundi Platonica V. 10.
Anima non agit in distans V. 9.
Anodymum minerale VI. 14.
Aphoristica medicinæ methodus II. 13
Aquis submersi quomodo iterum emergunt IX. 10.
Arcana, quæ vocentur, VI, 3. an & quomodo ex Pharmacopoliis dispensanda VI. 3.
Aromatarii, à materialistis differût VI 5. quæ ipsis non vendere liceat VI. 5
Arsenicum suspectis personis non vendendum VI, 15
Arthritidis specificum I, 7.
Artis notio I, 2.
Asthmatis causa occultior I, 6.
Attactus veneficarum IX, 27.
Autorum Medicorum notitia II, 16.
BAglivus Hippocraticus III, 2.
Balneatores propriè ad Chirurgos pertinent VII. 8.
Baptismus necessitatis ab Obstetricibus administratur VIII. 5.
Bauschius institutor Societatis Curiosorum Imperialis III. 9.
Bontekoistæ III, 8.
Borrichius Chymiæ defensor III. 4.
Botanica pars Therapeuticæ II. 2.
Ad Bructerum montem Sagarum quarundam iter imaginarium IX. 4. interdum verum 5.
Bufones in homine geniti IX. 12.
CAlculus, quomodo incurabilis evadat I, 13.
Canis in homine genitus IX, 18
Capitis dolor interdum per se cessat V, 11.
Carbones è corpore excreti IX, 25.
Carnifices & Empirici quomodo differant V, 2. Praxis Chirurgica interdicta VII. 10.
Cartesii ingenium III 7.
Cartesiani Medici *Ibid.*
Characteres magici è Medicina removendi I, 4.
Chinæ cortex febrium specificũ I, 7.
Chirurgiæ prælectores in Belgio VII. 5
Chirurgorum constitutio VII. 1. non debeãt curare citra Medicos 2. eorum persona qualis esse debeat 4 quæ nosse teneantur 5. curationes internas ne suscipiant 6.

Chronicorum morborũ periodi I, 16
Curatio II, 23.
Chymica mediciinæ principia III, 4.
Medicamenta caute emenda VI. 11.
Clavi ex corpore excreti IX, 26.
Clysteres mulieribus applicare Obstetricum est VIII, 1.
Cochleæ in homine generatæ IX. 18.
D. Cohausen refutatus V, 24.
Colica post febres intermitentes V, 11
Collegii Medici necessitas & institutio II, 29.
Compositæ aquæ spiritusque ad Pharmacopœam pertinent VI, 5.
Confarreati Medici IV, 4.
Conjecturæ medicæ quales I, 8.
Conringii introductio medica. II, 16.
Oppugnator Chymiæ III, 4.
Consistoria Medicis carere nequeunt II, 24.
Consultatoria medicinæ pars II, 12.
Consultationum medicarum necessitas IV. 1. fructus 2. quando locum non habeant 3. qui convocandi 4. quomodo instituendæ 5.
Contagiosi morbi ad Magistratum deferendi VII. 6
Convulsiones Dæmoniacæ IX. 25.
Cultelli ex corpore excreti IX, 25.
DEfinitionum necessitas I, 1. Medicarum utilitas II, 13.
Dei cognitio optima ex Anatom. II. 20
Delatio judicialis erronea IX, 5.
Dentium dolor interdum per se cessat V, 11.
Destillatores, quousque laborare possint VI. 5.
Diæta ægris observanda I, 15.
Diarthœarum specificum I, 7.
Indistans actio non datur V, 16.
Divinum Hippocratis quid II, 11.
Doctores medicinæ qui II, 26. bu ati quomodo admittendi 16.
Dogmaticorũ secta apud veteres V, 1

EFfluvia non favent transplantationi morborum V, 9. nec curationibus magneticis 18. certa sphæra circumscribuntur 19.
Empirica remedia è medicina excluduntur I, 4. curationes in specie V, 5.
Empiricorum secta apud veteres V, 1. moderni qui V, 2. eorum character *Ibid.* quomodo à carnificibus differant *Ib.* cur interdum feliciter curent II, 17. prærogativæ præ medicis V, 3. pœna Montispessuli V, 4.
Epilepsia à conspecto spectro IX. 6.
Equi spectra sentientes *Ibid.*
Erucæ in homine genitæ IX. 18.
Ethica Medico necessaria II, 8.
Evangelici morbi I, 17.
Experientia Veterum non rejicienda III. 9. semper rationi præferenda III, 10.
Experientissimi titulus medicus III, 10

FEbrium specificum I, 7. in malignis Purgatio quomodo noceat I, 14. malignarum decursus I, 16. intermittentes interdum per se cessant V, 11. fomentis calidis curatæ V, 12.
Feles in homine genitæ IX. 18.
Felium ploratus magicus IX. 25.
Felix Medicus quis II, 8.

Fonticuli cum præſcitu Medici excitandi VII, 3.
Galenus felix Medicus III, 3.
Galenica Medicina III, 3.
Gallus in homine genitus IX, 18.
Gallica lingua Medico neceſſaria II, 6.
Gaſſendi Philoſophia III, 7.
Germanicorum Scriptorum in Medicina abuſus V, 2.
Graviditatem an obſtetrices dignoſcant VIII, 4.
Græca lingua Medico neceſſaria II, 6
Halitus inſpiratio magica IX, 28.
Hecticæ ſpecificum I, 7.
Helmontii opinio de Academiis refutata II, 28. Ejus ſecta III, 5.
Hemicrania cur interdum incurabilis I, 2.
Hermaphroditæ inſpectio ſolis obſtetricibus non committenda VIII, 6.
Hermetica Medicina III, 4.
Herniarum Curatio V, 12.
Herniotomi peregrini non arcendi VII, 9.
Hippocratis medendi methodus III, 2.
Hiskiæ Regis ſanatio II, 25.
Hiſtoria Medico neceſſaria II, 9.
Frid. *Hoffmanni* Exercitatio acroamatica III, 8.
Hydrops quando incurabilis I, 13. Curatio V, 24.
Hygiene pars altera medicinæ II, 12
Hyponchondriaci frequenter morbos magicos imaginantur IX, 12.
Hyſtericæ ſe veneficas fingentes IX, 4
Jactantia in Medico Empiricũ eſt V, 2
Icterus interdum per ſe ceſſat V, 11
Imagines Aſtrologicæ ad morbos pellendos è Medicina excludendæ I, 4. Magicæ IX, 30.
Imaginatio *vid.* Phantaſia
Incantatio morbi cauſa II, 11.
Incantati morbi frequenter à vermibus IX 12. vere incantati ſigna 25. modi 26.
Inſtitutiones Medicæ II, 13.
Intuitus magicus IX, 26
Invidia Medicorum II, 4.
Ippecoanha diarrhœarũ ſpecificũ I, 7.
Judæi Medici II, 21. Pharmacopæi *ib.*
Judicia publica Medicis carere nequeunt II, 24.
Lactis uſus in Hectica I, 7. eſus vermes generat IX, 16.
Latina lingua Medico neceſſaria II, 6. & Pharmacopæo VI, 4.
Laudanum vigiliarum ſpecificum I, 7 ſuſpectis perſonis non vendendum IV, 15.
Lepra magica IX, 28.
Lignorum decocta , 7.
Lintea convoluta è corpore excreta IX, 25
Lithotomi peregrini non arcẽdi VII, 9
Loci communes Medici II, 17
Logica Medico neceſſaria II, 7.
Luis veneriæ ſpecificum I, 7. Curatio Chirurgo non convenit VII. 6 Eadem laborantes ad Magiſtratum deferendi *Ib.* per Obſtetrices propagatæ exemplum VIII, 10.
Magi putatitii multi IX, 2. 3. 4. 5.
Miter quorundam ad Bructerum imaginarium 4. verum 5. indicia 7 ſtigmata 8. innatatio ſuper aquis 6 quot modis morbos producant 2.
Magnetica remedia V, 16.
Manus medica IX, 3. Ma-

Materialiſtæ quales VI, 5.
Matheſis Medico neceſſaria II, 7.
Ad Matrimonium aptitudinem diſcernere non ſolis Obſtetricibus committendum VIII, 3.
Medicinæ definitio I, 1. genus 2. dignitas 3. certitudo 5. perfectio 10 eſt ars conjecturalis 8. difficultas I, 2. ſubjectum 9. addiſcendi methodus II, 2. partes 12. Non eſt immediatum Dei donum II, 18. Univerſalis non datur V, 22.
Medicorum religio II, 20. in morbis mutatio noxia I, 16. an interdum plus promittere poſſunt *Ibid.* requiſita II, 1. futuro neceſſaria II, 3. illis quæ apud ægros obſervanda II, 9. felix quis II, 22, 23. eorum neceſſitas & conſtitutio in Rebuspublicis II, 24. peritus quis II, 26. ſemper adhuc diſcant III, 9 à morbis externis curandis non excluduntur VII, 2
Medendi methodus duplex II, 12. quomodo addiſcatur II, 14. quomodo inſtituenda II, 23
Medicamenta interdum pro phantaſia ægri agunt II, 22. an præſtet ut Medicus ipſe diſpenſet VI, 2.
Melancholicorum phantaſiæ IX, 4.
Menſes moventia ſuſpectis perſonis non vendenda VI, 15.
Mercurius luis veneriæ ſpecificum I, 7. ſublimatus ac præcipitatus ſuſpectis perſonis non vendendus VI, 15
Metaphyſica medico neceſſaria II, 7.
Methodicorũ ſecta apud veteres V, 1.
Meyeri Bibliographia Phyſico medica II, 16.
Millepedas in homine generati IX, 18
Minerologia pars Therapeutices II, 12
Monſtroſi fœtus quando interimendi VIII, 14.
Monſtra an ab imaginatione matris exiſtant IX, 19.
Morbi cur non ſemper curentur I, 10 diagnoſis quam neceſſaria I, 10. habent ſuas periodos I, 16.
Moriendi neceſſitas phyſica I, 9.
Mors interdum in declinatione morborum unde I, 14.
Mures hominem intrantes IX, 14.
NAtatio ſuper aquas magica IX, 10 quibusdam naturalis 11.
Natura quid II, 23. Ejus miniſter medicus II, 23. 25. interpres Hippocrates III, 2.
Noſocomiorum in addiſcenda praxi medica utilitas II, 14.
Novi morbi non dantur I, 6.
OBſervationes medicæ hodie magis excoluntur III, 9.
Obſeſſi in altum rapti IX, 10.
Obſtetricum conſtitutio VIII. 1. functiones 2. quæ noſſe debent 5. quæ diſcere oporteat 7. Examen 8. ſteriles ab earum functione excludendæ 9. corporis illarum & ætatis conſtitutio qualis eſſe debeat 10 quibus animi moribus præditas eſſe conveniat 11. matronas honeſtas & Medicos ſemper obſervent 12. ſuperſtitione caveant 13.
Oculorum faſcinum naturale IX. 3. Eorum in fure excuſſio magica 30
Oculiſtæ & Operatores peregrini non arcendi VIII, 9.

Oph-

Ophthalmiæ à ſolis Chirurgis non curandæ VII, 3.
Oſſium mollities IX, 23.
Oſſa animalium è corpore humano excreta IX, 25.
Ovi putamina è corpore excreta IX, 25
PActum cum Dæmone implicitum V, 15.
Panacæa non datur V, 22.
Paracelſica medicina III, 4.
Pathognomica morborum ſigna I, 6.
Pathologia medica II, 12.
Caroli *Patini* morbus I, 6.
Pediculorũ proventus magicus IX, 28
Pedum ulcera à ſolis Chirurgis non curanda VII, 3.
Peregrinatio Medico neceſſaria II, 15.
Peſſaria applicare obſtetricũ eſt VIII, 1
Phantaſia quid circa medicamẽta poſſit II, 22. non operãtur indiſtãs V, 9.
Pharmacia duplex II, 12.
Pharmacopœorum conſtitutio VI, 1. requiſita 4. eorum miniſtri & diſcipuli quomodo admittendi 7. totum ſe arti tradat VI, 9. de Medicis non judicet 10. Chymica ipſe præparet 11. nec tamen aliorum compoſita fingat 11. nunquam quid pro quo ſumat 14. quædam ſuſpectis perſonis non vendat 15. interna medicamenta non det 16. niſi in Academia promotus 17.
Pharmacopolia quomodo inſtituenda VI, 5. eorum viſitatio 6.
Philoſophia & Philologia Medico neceſſaria II, 11.
Phthiſis cur incurabilis I, 11, 12
Phyſica fundamentum medicinæ II, 11
Phyſiologia Medica II, 12.
Pilorũ glomi è corpore excreti IX, 27
Piſces in homine geniti IX, 13.
Pneumatica, Medico neceſſaria II, 11.
Podagra quomodo incurabilis I, 13. præſervatio V, 12.
Polyhiſtoria medica II, 10.
Polypus arteriæ magnæ I, 6. Cerebri I, 11.
Praxin medicam quilibet promotus jure exercet II, 28.
Prognoſtica in morbis malè interdum intelliguntur I, 16. non raro ſelanda *Ibid.*
Proviſores Pharmacopoliorum juramento adſtringendi VI, 7.
Pulvis ſympathetic⁹ ſæpè fallit I, 16, 17.
Purgantia quomodo noceant in malignis I, 14. an in remotis inſtituta V. 28. fortia perſonis ſuſpectis petentibus non danda VI, 15. præſcribere non eſt res levis momenti 16
Pyrrhonimus Medicus II, 17.
RAnæ in homine genitæ IX, 13.
Ratio Experientiæ poſtponenda III, 10.
Recentium Medicorum ſcripta qualia III, 9.
Receptorum in Pharmacopoliis permutationes VI, 13.
Reſpublica abſque Medico eſſe nequit II, 24.
Romanorum medicina II, 25.
SAccharo mel nunquam ſubſtituendum VI, 14.
Salamandræ in homine generatæ IX. 18.
Sagæ vid. Magi

Samuelis ſpectrum IX, 6.
Scarabæi in homine generati IX, 18.
Scopæ inciſæ è corpore excretę IX, 27
Scorbuticorum affectuum curatio Chirurgo non competit VI, 6.
Sectæ medicorum unde III, 1. hodiernæ 2. apud veteres V, 1.
Semeiotica II, 12.
Serpentes dormientis os ſubeuntes IX, 14. in homine generati 18.
Simplicium officialium claſſes II, 12.
Societas Curioſorum Imperialis II, 10 III, 9.
Specifica morborum remedia dantur I, 7.
Spectrum Samuelis IX, 6. Eorum apparitiones quomodo dignoſcantur *Ibid.* quomodo creſcant, decreſcantque *Ibid.*
Spiritus, morborum ſupernaturalium cauſa II, 11.
Spiritus mundi ſeu univerſalis transplantationi morborum non favet V, 10.
Stigmata magica IX, 8.
Sudorũ an in remotis concitatio V, 21
Supernaturales morbi II, 11.
Superſtitio maximè penes Obſtetrices VIII, 13.
Fr. *Sylvii* medicina III, 6.
Sympathiæ ratio V, 16.
TArtarus Emeticus à Chirurgis non propinandus VII, 6.
Taxæ medicamentorum in Pharmacopoliis VI, 8.
Temeritas Medici ſignum empiricum V, 2.
Therapeutica quinta medicinæ pars II, 12
Timæus à Güldenklee V, 12.
Torturæ deceptio IX, 1
Transplantatio morborum remedium empiricum I, 4. V, 5. quomodo inſtituatur 6. fallit 7. cum ratione pugnat 8. 9. 10. absque eadem interdum morbi ſanantur 11. ſine neceſſitate adhibetur 12. promovetur à phantaſia ægrorum 13. pacti interdum cum Dæmone impliciti ſuſpecta V, 15.
Transportatio Dæmoniaca IX, 10.
VEnam quoque balneatores rectè ſecant VII, 8.
Veneficium & magia differunt IX, 33.
Vermes incantatorum morborum ſuſpicionem movent IX, 12. quomodo in corpore humano generantur 13. non per generationem æquivocam 16. monſtroſi in homine generati 18. omnia animalium genera referens 22.
Veſtigiorum lectio magica IX, 29.
Veterum Medicorum ſcripta non negligenda III, 9. ſcribendi methodus *Ibid.*
Viduæ ad functionem obſtetricam aptæ VIII, 9.
Vigiliarum ſpecificum I, 7.
Viperæ in homine IX, 18.
Virginitatis dignotio non obſtetricibus ſolis committenda VIII, 2.
Vitæ terminus an mutabilis II, 25
Vitrum ex corpore excretum IX, 25
Unguentum armarium interdum fallit V, 17.
Univerſaliſtæ V, 24.

Volatilia medicamenta non ſemper conducunt III, 8.
Vomitus multæ cauſæ V, 24. magici IX, 25.
Urinarũ an in remoto promotio V, 21
An per urinã in indiſtans curatio V, 21
Uterum prolapſum reponere obſtetricum eſt VIII, 1.
Vulnera quæ magnetice curentur V, 20. Vulneraria decocta Chirurgis conceſſa VI, 6.
Waldſmidii Diſputationes III, 7.
S. Walpurgis nox. IX, 25.
Wedelius III, 2.
Williſii medicamenta III, 6.
Zoologia pars Therapeutices. II 12.

Addenda & corrigenda

Pag. 9. *lin.* 21. *pro* pertoeſi, pertæſi

Pag. 15. *l.* 8. *deleatur*, at

Pag. 40. *lin*: 14. l. cum *Maxvello* animæ, aut cum recentiſſimis quibusdam Autoribus, Viris doctiſſimis, imaginationis operatio in diſtans, & conſenſus quidam mumialis hic advocetur. Utraque enim

Linea 17. *deleatur*, hæc

Lin. 23. poſt verba, *pulchre diluit.* Conſenſus verò ejusmodi mumialis quoque mere imaginarius exiſtit, nec ullo unquam effectu probabitur.

Pag. 79. *lin.* 13. *pro gerendi*, egerendi.

W